
C. Crispi Sallustii opera exceptis fragmentis omnia

Gaius Sallustius Crispus, Heinrich Kunhardt



PROOEMIVM.

I.

DE EDITORIS CONSILIO.

Mandavit mihi ante quinque fere annos *Rupertius*, V. C., Gymnaſii, quod Stadae floret, Rector meritiſſimus, ut eorum ſocietati me adjungerem, qui ſuo ductu auſpicioque claſſicis Latii ſcriptoribus edendis ac juventuti ſcholaſticae illuſtrandis operam dare coepiſſent; idque feci eo lubentius, quo impenſius hunc, quem ex magno auctorum numero explanandum mihi tradiderat, Salluſtium a teneris inde amaram, quove cer-

a 2

tiora tunc et majora huic meo qualicunque labori praemia propoſita erant. Quorum quidem obtinendorum ſpes etiamſi me prorſus fefellit, perſeverandum tamen in re, per ſe nec injucunda, nec inutili, ratus, nunc demum libri in publicum edendi opportunitatem me nactum eſſe laetor magis quam doleo. Nam ubi ſemel cum aliquo ſcriptore familiaritatem quandam iniimus, ſperare licet, ut, lectitando eundem, locos difficiliores, atque proprium ejus dicendi genus et ipſi rectius intelligamus, et aliis explicare poſſimus. Quare quum juvenili, quem olim feceram, conatu ad meliora praeparatus mihi viderer, opuſculum vero illud, in quo conjurationem Catilinariam expoſui, neque mihi amplius placeret, nec viris doctioribus, poſt egregios eruditiſſimorum interpretum in eodem genere labores, ſatisfacere poſſet: omnes Salluſtii libros, quatenus in ſcho-

lis leguntur, interpretari, eorumque priorem partem ſedulo retractare decrevi. In quo quidem ſtudio mirifice me adjuvit *Dahlius*, V. S. V., in Academia Roſtochienſi Theologiae profeſſor. Hic enim copioſa, qua pollet, doctrina ad illuſtrandam priorem Salluſtianorum ſcriptorum partem ita uſus eſt, ut praeter ſpicilegium fere nihil relinquens, planam interpretibus viam ſterneret. — *Meisnerum* vero etiam, *Schluterum*, *Hoeckium*, pluresque alios, qui transferendo explicandoque de Salluſtio bene meriti ſunt, ſaepiſſime conſului. Sed dux mihi atque princeps fuit nobiliſſimus ille *Cortius*, omnium Criſpi interpretum eruditione ac diligentia facile primus, e cujus inexhauſto theſauro ea tantum depromſi, quae ad veram auctoris ſententiam recte intelligendam pertinerent. Itaque Salluſtii verba eodem ordine ac modo, quo Cortius ea recen-

ſuit, exprimenda curavi; ſed ita, ut quae vel ab aliis rectius conſtituta, vel mihi certas ob cauſas mutanda viderentur, adſperſis textui notis ſignificarem. Paucis enim ſcriptoribus idem, quod Noſtro, contigit, ut codicibus atque MSS. diligentiſſime inter ſe comparatis, accurateque perpenſa *lectionum* differentia, ſciolorum additamentis, et ſcribarum mendis purgati, ad priſtinam fere ſermonis integritatem reducerentur, quae quidem Salluſtio propterea facilius reddi potuit, quod peculiari quodam genere dicendi a reliquis discrepat. Igitur non multum negotii Criticis relictum videtur, cum auctoris ſententia plerisque in locis, ubi, a vulgata loquendi conſuetudine recedens, corruptelae ſuſpicionem ciere poſſet, ſuis ipſius verbis aliunde petitis illuſtrari queat. Quaecunque autem ad cognoſcendam propriam Noſtri latinitatem conducere viſa ſunt, ea, juventutis num-

quam immemores, additis interdum, ubi opus erat, vocibus germanis, ſedulo notavimus. In expoſitione utriusque belli ſingulis deinceps capitibus narrationis epitomen praemiſi, ut uno velut oculorum obtutu rerum geſtarum ſeries conſpiceretur. Et haec quidem laboris pars, etſi ipſis interdum Salluſtii verbis uti licuit, propter brevitatem et adſtrictam rerum inter ſe cohaerentium ſeriem, non nihil, fateor, difficultatis mihi attulit. — In explicanda conjuratione Catilinaria ſaepe reſpexi ad ſplendidum illum codicem, quem, addita locorum interpretatione, A. MDCCXC. edidit Tellerus, Vir, ut in vita venerabilis, ita poſt mortem deſideratus. Sed capitum ordinem, a Tellero immutatum, ita reſtitui, ut a Cortio erat conſtitutus. Sic enim auctoris verba, quae ab aliis interpretibus ſecundum ordinem Cortianum citata a me repetita ſunt, facilius in ipſo libro

reperiuntur. — Haec praemonuisse sufficiat! Superest, ut lectorum indulgentiae hanc meam qualemcunque scriptionem, quam, si non eruditis, juventuti certe utilem fore spero, et eas praesertim notas, quibus locos aliquot obscuritate laborantes sanare studui, (quales occurrunt Cat. Cap. 2. et 3. item Iugurth. Cap. 12. 26. 48. 53. 61.) diligenter commendem. Scripsi Lubecae Idibus Decembris MDCCCVIII.

II.

DE VITA ET SCRIPTIS C. SALLVSTII CRISPI.

C. Sallustius Crispus a. V. C. DCLXVIII., a. Chr. LXXXV., quum septimum consulatum C. Marius, secundum Lucius Cornelius Cinna gereret, Amiterni, honestis parentibus, sed plebejis, nec munerum administratione claris, natus est. Nomen gentis Sallustianae ad septimum usque post V. C. seculum latuit. Duos enim hujus nominis viros a Cicerone*) in suis atque Pompeji amicis numeratos esse legimus. Traditus est noster a patre in disciplinam *Atteji Praetextati*, Atheniensis, qui Rhetoricam Romae docebat, et Crispum prae aliis singulari amore complectebatur. A quo quum ad eloquentiae studium incitatus, et a re militari abstractus esset, brevi tempore insignem nactus est doctrinae ingeniique laudem. Sed non aequam castitatis temperantiaeque laudem sibi comparavit. Nam et voluptati et avaritiae, communibus illa tempestate Romanorum vitiis, deditum se fuisse fatetur; et si fides habenda est incertis auctoribus, pecuniam nefario modo partam profundere, profusam per nefas reparare so-

*) in Epist. ad Div. II. VI. XIV. II. ad Attic. XI. II. Fuit etiam Sallustius quidam, libertus Ciceronis, magni ab eodem aestimatus.

lebat. Igitur omnibus modis pecuniam quaerebat, ut haberet, quod profunderet. Quum autem ad ingentes hominis levissimi sumtus non sufficerent propriae facultates, patris quoque domum, vivente adhuc illo, et rem concedente, aeris alieni solvendi causa vendere coactus est. Quae res quamvis per se habet verisimilitudinem, tamen, quum ab incerto *declamationis* auctore, qui atrocissima in Crispum cumulavit crimina, referatur, an vera sit, dubitari potest. Nam si abjecto animo fuisset Noster, si omnibus aevi sui vitiis se contaminasset, denique si verum honestumque divitiis non praetulisset, cur non Catilinae sociis se adjunxit? Cur non ea, qua pollebat, eloquentia, in foro, pecuniae quaerendae causa, ad excusandas pravorum hominum injurias abusus est? —

Quod autem, voluptati nimis indulgens, non modo cum honestis feminis, sed cum levissimis etiam puellis rem habuerit Noster, in eo consentiunt plerique. In aliis multis, quas amasse fertur, *Faustam* nominant, *Sullae* Dictatoris filiam, T. Annii *Milonis* uxorem. A quo quum aliquando in adulterio deprehensus esset, vinculis constrictus, virgisque caesus, et grandi pecunia mulctatus est. Sed ne hoc quidem dedecore territus, scortorum postea familiaritatem quaesivit.

Quum primum, sumta virili toga, ad rempublicam accessisset, animo puro et „*malarum artium insolenti*“ *), multa ibi adversa tulit. „Nam pro pudore, inquit, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur — tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur: ac me cum ab reliquorum malis moribus

*) Sunt ipsius verba in Cat. Cap. 3.

dissentirem, nihilominus honoris cupido, eadem, quae ceteros, fama atque invidia vexabat.“

Anno aetatis circiter trigesimo Quaesturam nactus, historiae Romanae scribendae consilium cepisse videtur. Usus est in ea re praeceptoris supra nominati auxilio. *Attejus* enim *Praetextatus* ex omni historicorum corpore, qui latina lingua fuerant usi, memorabilia facta excerpserat, qua succincta rerum gravissimarum narratione Crispus noster multum adjuvabatur. Hunc enim, antequam libros illos, qui integri adhuc sunt aque superstites, scribere aggrederetur, historiae operam dedisse, ex ipsius verbis intelligitur. Dicit enim in exordio belli Catilinarii: „*a quo incepto studio me ambitio mala detinuerat, eodem regressus*, statui res gestas populi R. carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere.“ Tribunatum Plebis ambivit a. V. 701. quo postea functus, ulciscendae contumeliae, a *Milone* sibi factae, opportunitatem invenit. Quum enim P. *Clodius*, Miloni inimicissimus, ad praeturae spem eodem tempore adspiraret, quo Consulatum *Milo* ambibat, et illum omnes boni aversarentur, huic *Cicero* multique ex plebe, largitione immensa corrupti, faverent, fors ita tulit, ut aemuli isti, in Appia via sibi invicem obviam facti, comitante gladiatorum servorumque turba, inter se congrederentur. *Clodius* secum ducebat triginta gladiatorum, quorum auxilio fretus quum *Milonem*, quem CCC servi comitarentur, temere aggredi auderet, inscio *Milone* vulneratus, postea tamen jussu illius, e casa rustica, in quam saucius confugerat, retractus est et necatus. Quid mirum, si, hoc nuntio Romam adlato, universa plebs, quae *Clodio* favebat, Tribunorum et Sallustii sermonibus instigata, vehementissimos excitabat tumultus? Eodem, quo nu-

per in Gallia *Maratiani*, furore incensa, dilecto suo *Clodio* parentatura, ante curiam, loco insolito, cadaver ejus, cum supellectile multa, quam rapuerat, simulque annales diariosque senatus libros cremavit — quo incendio Curia ipsa cum aedificiis multis consumta est. Milonem postea publice accusatum, *Ciceronem*, familiarissimum suum, defensorem habuisse, nemini ignotum est, qui splendidam illam *Tullii* Orationem pro *Lege Manilia* inspexit. Haec autem ad Crispi vitam propterea pertinent, quod illa tempestate declamationes a *Cicerone* et *Sallustio* publice recitatas esse putant, adhuc superstites, et ab ipso Quintiliano citatas, in quibus effuse petulantes sibi invicem maledicunt. Has autem non genuinas, sed ab alio quodam fictas esse, e rerum serius gestarum commemoratione rectius colligitur. Ceterum, quod optaverat Sallustius, ut *Clodii* caedes inimico suo male verteret, id eum obtinuisse constat. Nam civitate *Milo* ejectus est. Sed biennio post, quum *Appius Claudius Pulcher* et *Lucius Calpurn. Piso* censuram, qua fungebantur, paulo severius agerent, multosque libertinorum et nobilium filios, qui generis nobilitatem flagitiorum macula dedecoraverant, senatu moverent, eadem, quae *Miloni*, sors cecidit *Crispo*. Nam et hic adulterii crimine accusatus, graviterque a Censore vituperatus, quum respondisset, se non cum nobilibus feminis, sed cum libertinis rem habere solitum, a senatoris gradu depulsus, et, quamvis in urbe maneret, publice tamen ignominia notatus est. —

Sic ab omni munerum administratione submotus, Censoribus et universo Senatui succensens, quum rebus gerendis inclarescere non posset, scribendo quaesivit gloriam, moresque civitatis, avaritia, perfidia luxuriaque corruptos, in bello Catilinario depingere in

animum induxit*). Ita enim ſe contumeliam iſtam, qua erat adfectus, optime ulciſci, et, ſi vitiorum ubique regnantium illecebris ſe irretitum aperte profiteretur, (conf. Cap. IV.) imbecillitatem adoleſcentiae excuſare poſſe exiſtimabat. Et profecto non omne veri ſtudium in animo ejus exſtinctum, indolem viri bonam, mentemque litteris optimisque praeceptis excultam fuiſſe, intelligitur ex illa, qua in ſuos ipſius civiumque mores animadvertit, ſeveritate, nec minus ex totius argumenti tractatione vere philoſophica. Quid? quod ipſum Ciceronem, cui dicitur inimiciſſimus fuiſſe, juſtis laudibus celebrare, ejusque in RP. merita publice commendare non dubitaverit. — Nihilo tamen minus eum ulciſcendi cupiditate et aequalium contemtu ductum ſcripſiſſe facile cognoſcent lectores attenti. „*Romam enim venalem ac diverſiſſimis inter ſe vitiis — avaritia et luxuria — perditam fuiſſe*“ non ſemel (in Iugurthini praeſertim belli deſcriptione) ſed centies queritur, ita ut omnium ſcelerum et flagitiorum exempla ad confirmandam illam ſententiam congeſta videantur. Nam qui eodem, quo exorſus erat, antequam ſingula facta narrare inciperet, abſoluta rerum geſtarum narratione, ſemper regreditur, is animi conſilium aperte prodit. Salluſtius vero non ipſe tantum illa reprehendit, ſed *Iugurtham* quoque, *Catonem* aliosque viros, talia loquentes, inducit. — Qualicunque autem animi conſilio ductus ſcripſerit, dignus certe eſt teſtis, qui audiatur. Nam et aetate proximus fuit Catilinae (quippe qui necatus eſt anno auctoris noſtri vigeſimo ſecundo) et veritatem, quam poterat

*) Veriſimilius tamen eſt, tum demum, quum ex Africa reverſus eſſet, librum iſtum in lucem prodiiſſe. Id enim patet ex fine Praefationis.

cognitam habere, profiteri non erubuit. Cur enim, si, quae sciret, aperte profiteri noluisset, tot clarissimorum illius aevi hominum probra et flagitia memoriae tradiderit, vel omnino attigerit, equidem non intelligo, cum, quae mentiri ausus fuisset, statim refutari potuissent contrariis aequalium testimoniis, ea vero, quae dubitationem amplius non habebant, si iterum in vulgus edebantur, conjuratorum invidiam hac ipsa rerum gestarum repetitione satis excitarent. Nec vero etiam, qui impudica fronte mendacia fingunt, aliosque temere accusant, tantam in eruenda rerum gestarum veritate, argumentisque et rationibus ponderandis, solertiam adhibere solent, quanta ubique in *Sallustii* scriptis immortalibus est perspicua. Denique nominis celebritatem, quam, ut ipse fatetur, consequi volebat, mendaciis et calumniosa factorum interpretatione numquam adsequutus esset. Igitur omnes boni historici virtutes — rerum cognitio solida, judicii haud vulgare acumen, incorruptum veritatis studium, quibus accedit oratio polita et divina quaedam gravitas sermonis — hunc nostrum auctorem cuilibet severioris doctrinae cupido lectori commendant. —

Sed ad reliquam ejus vitam redeamus! Vitae solitariae, quam per biennium egerat, pertaesus, *Caesari*, qui brevi tempore Italiam omnem sibi subjecerat, scriptorum dedicatione publice se commendare, et, cui clanculum diu studuerat, ei se totum addicere non amplius dubitavit. Priorem enim illa tempestate de administranda Republica epistolam scripsisse, eamque victori eo consilio tradidisse fertur, ut per eum ad summos in republica honores eveheretur. Quae quidem, si revera ab eo scripta est, eruditionem et ingenii sagacitatem summam, non autem animum in-

tegrum, non eundem libertatis amorem prodit, quo in reliquis ſcriptis flagrare videtur. Nam partium ſtudio et honorum cupiditate abreptus, adulari tyrannum et violentiam ejus excuſare non dedignatur — quod iterum probat, eodem vitio, cujus turpitudinem graviter in exordio belli Catilinarii reprehenderat, et ipſum laboraſſe: aliud nempe clauſum in pectore, aliud promtum in lingua habuiſſe. Nam aut Caeſari verba dedit, aut ipſe civium Romanorum dignitatem, quam venalem tunc fuiſſe toties queſtus fuerat, venditavit homini imperioſo. Ipſe poſtea victoris exercitui ſe adjunxit et in Hiſpaniam cum eo profectus eſt. Et, ſi Declamationis, quam *Ciceroni* vulgo tribuunt, auctori non omnem fidem denegamus, poſt reditum Quaeſtor a Caeſare renunciatus eſt, quumque ille adverſus *Pompejum* in Graeciam proficiſceretur, magiſtratus gerendi cauſa Romae remanſit, ibique lucri ſtudio turpiter ſatisfecit. Eodem fere tempore alterum de ordinanda republica libellum ſcripſiſſe putatur, quem Caeſari poſt Pharſaliam pugnam Alexandriae commoranti dedicavit.

Poſtea, Dictatore Romam reverſo (a V. 707) auctoque numero Praetorum, Salluſtius, quamvis aedilitate nondum erat functus, praeturam nactus eſt, et quadrageſimo circiter aetatis anno, *Terentiam*, quacum *Tullius* divortium fecerat, feminam alacritate ingenii magis, quam pudore et modeſtia commendabilem, uxorem duxit. Id eo magis mirere, quod Terentiae ſororem, *Fabiam* nomine, illam Veſtalem fuiſſe conſtat, quacum Catilinam ſtuprum feciſſe in bello Catilinario narratur. Mox, quum partes Pompejanae, et conſociata Iubae agmina, iterum Caeſari minitarentur, isque, invitis et bello fatigatis legionibus, exercitum in Africam ducere cogere-

tur, Crispus decimae Legioni praefectus est. Sed frustra militibus, qui ad oram maritimam duces sequuti erant, persuadere studuit, ut naves iterum conscenderent. Nam illi quietem post belli pericula, et laborum mercedem, in Campis Pharsalicis sibi promissam, uno ore flagitabant. Quibus cum noster placide respondisset, nondum finitum esse bellum; tum demum, quum arma silerent, praemium esse sperandum, singulisque militibus mille drachmas aliquando numeratum iri — vehementius omnes vociferati sunt: non promissis amplius esse locum, sed munera sibi deberi; et severius minantem, armis arreptis, ad fugam compulerunt. Nec multum abfuit, quin, duobus in fuga Senatoribus interemtis, et ipse Praetor necaretur. Caesar accepto seditionis nuntio mitigatoque suorum animo, in Africam trajecit, nostrumque *Sallustium* comitem secum duxit. Vbi quum aliquando frumenti inopia premeretur, cujus magnam vim ab hostibus, in *Cercina* insula, prope Africam sita, congestam comperisset, partem classis, qua hostibus illam eriperet, *Sallustio* tradidit, flagitavitque ut sine mora et excusatione mandata perficeret. In quo negotio suscepto tam prospera fortuna usus est, ut sine ulla suorum clade magnam frumenti copiam reportaret. Nam *Decimius* Quaestor, qui Cercinae praefectus erat, conspecta hostium classe, statim aufugit.

His et similibus factis adeo sibi devinxit Imperatorem, ut, quum, Iuba superato, Numidia in provinciae formam redacta esset, haec illi a Caesare vel gubernanda, vel diripienda traderetur. Igitur Proconsulari dignitate praeditus, Lydiam, Numidiam atque Mauritaniam, fertiles tunc et opulentia florentes provincias — administravit, et ita quidem, ut immensis divitiis

locupletatus Romam rediret, atque a Numidis post reditum repetundarum accusaretur. Hoc tamen crimine est absolutus. Fuere, qui grandi pecunia, Caesari oblata, eum veniam impetrasse dicerent; sed verisimilius est, ultro illi condonatam esse poenam a Dictatore. Nam nec *Dio Cassius* pecuniae meminit, et gratuita clementia dignior videtur magno Caesaris animo, qui ne in hostes quidem severus fuit, in amicos vero fidelis, et officiorum sibi praestitorum remunerator admodum liberalis. Sed in auctore nostro, siquidem revera furto et rapinis sese locupletavit, eo magis ista avaritia vituperanda erat, quo rectius, quid faciendum sit viro justo, intellexit, et quo vehementius in suos cives, eodem vitio inquinatos, invectus est.

Non tamen omne illud, quod in Africa transegit, tempus in lucri studio consumsit, sed bonam ejus partem litteris dicavit. Quum enim belli Iugurthini historiam, quam scribere statuerat, in ipso illo rerum gestarum theatro optime explorari posse intelligeret, quaecunque ad illam explanandam conducere videbantur, sedulo conquisivit, originem, situm ac mores illarum gentium perscrutatus est, locorum naturam ipse investigavit; et scripta historiae monumenta, quotquot reperiri possent, collegit. His rei susceptae adminiculis atque instrumentis auctus, totius belli causas, progressus et vicissitudines tam accurate perscribere potuit, ut nihil desiderii legentibus relinqueretur.

Quum paulo post ejus reditum *Caesar* in senatu interfectus esset, ingentes illas, quibus gaudebat, divitias, procul a munerum molestiis, in otio luxuriaque consumsit. Itaque in monte Quirinali, loco edito, qui aëris salubritate, et pulcherrimo in urbem prospectu se commendabat, magno argenti pondere fundum am-

plum ſibi comparavit, in eoque magnificentiſſimam domum, regali inſtructam luxu, hortosque illos amoeniſſimos, qui Salluſtianorum nomine inclaruerunt, ſtatuis, tabulis pictis, templis, aquaeductibus, porticibus eximie exornatos condidit, quos multi Scriptores laudibus celebraverunt.

Ingentes quoque ſumtus impendebat in *Tiburtinam* Caeſaris villam, quam poſt illius caedem emerat, omnibusque iis rebus, quae ad vitam ruri cum voluptate agendam pertinere videbantur, inſtruere coeperat. Haec tanta luxuria viri antea pauperis, quem aere alieno oppreſſum fuiſſe ſciebant aequales, vehementer acuit inimicorum invidiam, indigne ferentium, quod homo iſte, qui ne paternam quidem domum tueri potuerit, magnificentius, quam ipſi Conſules, habitaret.

Verum ille obtrectatorum invidiam contemnere, litteris otium conſecrare, ſumma cum diligentia populi Romani hiſtoriam tam militarem, quam civilem, perſcribere. Tertium hoc opus hiſtoricum res P. R. inde ab eo tempore, quo *Sulla* dictaturam abdicaverat, usque ad legis Maniliae rogationem geſtas, quinque libris complectebatur. Gui cum praemiſiſſet bellorum civilium brevem narrationem, ſociorum vero et Cimbrorum res geſtas non intexuiſſet, nonnihil tamen defuit ad perfectam hiſtoriam illorum temporum, quae inde a Iugurthino bello usque ad Catilinarium praeterlapſa erant. Quo magis dolendum eſt, vel poſterorum incuria, vel aliquo caſu bonam ſcriptorum Salluſtianorum partem nobis ereptam eſſe, e quibus, ſi omnia eſſent ſervata, ſaeculi ſeptimi res inprimis memorabiles optime cognoſcerentur. Poſtremum illud hiſtoriae monumentum *Lucullo* minori, ſummi illius Imperatoris, qui adverſus *Mithridatem* pugnaverat,

filio dedicatum fuiſſe accepimus. Et quamvis praeſtantiſſima in illis libris ingenii ſpecimina edidiſſet, tantum tamen abfuit, ut omnibus probaretur, ut potius, propter maledicta quaedam in *Pompejum*, flagrantiſſimum ſibi *Lenaei* cujusdam odium contraheret. Hic enim Pompeji libertus eum in modum exarſit, ut ſatyra ſcripta vehementer Noſtrum perſtringeret, eumque *nebulonis*, *lenonis*, et hominis prodigi ebriique nominibus diffamaret. Deceſſit *Salluſtius* a V. C. 718. *Cornificiis*, *Pompejoque* minore Coſſ. aetatis anno quinquageſimo primo. *Terentia* ſuperſtes duobus deinceps aliis, primum nempe *Meſſalae Corvino*, Oratori nobiliſſimo, poſtea *Vibio Rufo* nupta, centum et viginti annos vixiſſe fertur. Adoptaverat Noſter nepotem ex ſorore, qui ſub Auguſto et Tiberio amplos geſſit honores et *aeris Salluſtiani* fuit inventor. Nemo tamen *Salluſtiorum* ingenii laude hunc Noſtrum aequiparavit.

III.

DE LATINITATE SALLVSTII.

Omnes, quantum equidem sciam, rerum gestarum scriptores, qui singulari quodam animi habitu, divinaque mentis indole reliquis praestant, sermonis etiam proprietate, sive peculiari historiam tractandi narrandique modo, a turba mediocrium facile distinguuntur. Nam quo fecundius est scriptoris cujusque ingenium, quo rapidior mentis velocitas, quo solidior doctrina, eo largior plerumque sententiarum ubertas, eo densior est pressiorque cogitationum series, eo magis ponderosa sunt rerum, quas enarrant, argumenta. Sic olim Herodotus, Xenophon, Thucydides, et qui hunc aemulatus est, Sallustius Crispus, ejusque imitator, C. Tacitus, quamvis in suo quisque genere sunt eximii, peculiari tamen cogitandi et dicendi ratione a se invicem ita discrepant, ut ingeniorum quasi forma scriptis impressa videatur. Et recentiori aevo quantopere differant inter se illa Germaniae decora, *Iohannes Mullerus*, egregius rerum Helveticarum scriptor, *Schillerus*, *Genziusque*, neminem fugit. Noster inprimis, quem immortalis ille Tacitus (Hist. L. III.) rerum Romanarum florentissimum auctorem praedicavit, tantique fecit, ut eum prae ceteris ad imitandum sibi proponeret *).

*) „Crispus Romana primus in historia." sunt verba Martialis XIV. 91.

Crifpus, inquam, a vulgo fcriptorum, tam in ipfa rerum tractatione, quam in fingulis verbis, eorumque junctura, et in transgreffionibus, ita recedit, ut hujus auctoris faciem quandam, propriis velut lineamentis diftinctam, haud difficulter dignofcas. Nam praeter illas virtutes, quas univerfe olim vir quidam doctus*) laudavit, cum ad Muretum de Salluftio diceret: „*egregie latine loquitur, et gravis ac denfus eft, et civilis fapientiae plenus, et quod Tu quanti facias fcio, Thucydideus*" — quae certe nonnullis cum eo funt communes, fuas habet quasdam proprias. Eft enim, ut A. *Gellii* verbis utar, „*fubtiliffimus brevitatis artifex — proprietatis in verbis retinentiffimus;*" fpernit folitas verborum formas et conjunctiones; novas interdum voces vel fingit, vel ex communi loquentium ufu adfert, et inufitatam haud raro verbis notiffimis fententiam fubjicit. Illa fermonis brevitas in hoc potiffimum cernitur, quod in ferie narrationum eas res omnes, quae vel facili negotio fuppleri a legentibus poffunt, vel, fi additae effent, minuerent hiftoriae dignitatem, aut prorfus filentio praetermittit, aut nutu velut demonftrat, ut conjectura queant reperiri. Hinc paucis interdum lineis, omiffa quacunque fupervacanea conjunctione, virorum imagines, Catilinae, C. Caefaris, Catonis, folertiffime depingit, maximarumque rerum caufas uno verbo fignificat, et in Orationibus, quas vel totas vel ex parte finxit, concinna rerum dicendarum fignificatione animos audientium modo ad conatus difficillimos mirifica arte impellit, modo fpe, gaudio, metu, ceterisque adfectibus vehementer percu-

*) Guilielmus Sirletus, Cardinalis, cujus cum Mureto colloquium vid. in hujus *oratione decima*, quam, Salluftium interpretaturus, habuit Romae 1587. pag. m. 83.

tit. Attamen perplexam illam et Pythicam obſcuritatem, quam C. Tacitus, auctor ceteroquin egregius, in quibusdam locis adfectaſſe videtur, tam diligenter evitavit, ut brevitas nusquam fere obſiceret perſpicuitati, nec vera locorum ſententia dubitationem haberet. Quare ſi Quintilianus (Inſtitut. L. IV. c. 1.) docet: „Vitanda illa Salluſtiana, quamvis in ipſo virtutis lo„cum obtinet, brevitas et abruptum ſermonis genus, „quod otioſum fortaſſe lectorem minus fallit, audien„tem transvolat, nec, dum repetatur, exſpectat." praeceptum illud, ſicut contextus locorum docet atque ex hisce ipſis verbis colligitur, ad oratorem magis, quam ad Hiſtoricum pertinet.

In *Criſpo* certe illa breviloquentia laudanda, et recentiorum quorundam importunae loquacitati praeferenda eſt; qua in re conſentit nobiscum haud ignobilis ille Hiſtoriarum Scriptor *Rollinus*, qui in Hiſt. ant. Tomo XII. ait: „La Qualité dominante de ſes écrits, et qui charactériſe Salluſte d'une maniere plus propre et plus ſinguliere eſt la brieveté du Stile, que *Quintilien* appelle: *immortalem Salluſtii velocitatem.* Cette brieveté dans Salluſte vient de la force de la vivacité de ſon genie. Il penſe fortement et noblement, et il écrit, comme il penſe. On peut comparer ſon ſtile à ces fleuves, qui ayant leur lit plus ſerré, que les autres, ont auſſi leurs eaux plus profondes et portent des fardeaux plus peſans." Et recentior quidam interpres verbis infra citatis*) tam vere quam

*) Alles Auſserweſentliche fällt bey ihm weg; was er liefert, iſt gediegenes Gold ohne alle Schlacke; jedes Wort die vollgültige Münze für den Gedanken; jeder Ausdruck die getreue Copie der Idee." Vid. Schluter in Praefatione ad Iugurtham translat. Monaſt. 1794.

breviter hanc Rollini ſententiam confirmat. Nusquam igitur legentibus neque futilia narrando, nec in longius trahendo ſermonem taedium adfert; nusquam illos per ambages ducit, ſed medias rapit in res, ac velut agitato, vixque intra ripas ſe continente, orationis flumine ſecum trahit. Hinc frequentiſſimus Praeſentium et Infinitivorum uſus, hinc ellipſes nonnunquam juſto duriores, quas in margine ſedulo notavimus. Sic, ut exemplo utar, Comparativum, ad quem ſequens aliqua Conjunctio referenda fuiſſet, interdum omittit. Vid. Cat. C. IX. „beneficiis (omittit *potius*) quam metu imperium agitabant."

Deinde, quo excelſior quaedam dignitas maximarum rerum narrationi accederet, priſcas revocat voces, formas atque terminationes; novas quoque interdum ſingere audet, qualis eſt vox *loquentia*, quam a nemine veterum uſurpatam eſſe meminimus, quae vero ad ſignificandum in loquendo habitum eſt aptiſſima. Denotat enim illud, quod inter eloquentiam et loquacitatem eſt medium. Sic recentem velut colorem induit picturae, ſeu, ut alia ſimilitudine utar, ſignum monetae impreſſum, uſuque diuturno attritum, ita redintegrat, ut prorſus novum videatur. Igitur ſcribit *omnis civitatis* etc. pro: *omnes* [quam quidem ſcribendi conſuetudinem Priſcianus laudavit] ſemper *regunda* — *optuma* — *Senati* — *volgus* et plerumque: *Pars* — *alii* (nunquam alii — alii; nec etiam *partim, partim*), ſaepe *plebes, auxilium portare*, non *ferre;* ſemper *labos*, nunquam docente Servio, *Labor.* Sed dum trita et nimis languida diligenter vitat, in contrariam partem mihi quidem interdum peccaſſe videtur. Eſt enim nimius in affectatione priſcorum verborum, et uſitatarum locutionum fere faſtidioſus, quod minus ta-

men displiceret, si perspicuitas et facilis rerum intelligentia nunquam impediretur. Sed quis non haereat in illis Cap. II. verbis: *quae homines arant, aedificant — — virtuti omnia parent?* Cujus loci sensus (si modo incorrupta nobis tradita sunt autoris verba) non incertus quidem est, sed ipse impeditior tamen, et insolita verborum constructione, ac significatione tam obscurus, ut conjecturis locum faciat. Hoc autem planius dicendo evitari potuisset.

Alia plura, quae huc pertinent, in ipso Commentario subjunximus. Sunt enim, ut ait Horatius, velut inspersi egregio corpore naevi, tantumque abest, ut illos indicando Sallustii laudes detrectem, ut eum optimis potius, lectuque dignissimis omnium saeculorum scriptoribus adnumerandum censeam.

ADDITAMENTVM DE LATINITATE SALLVSTII.

Sallustius scripsit: *Ulcisci* pro *puniri.* *Adepta* libertate — p. *recuperata* l. *Casum victoriae invenire* p. vincendi opportunitatem invenire. *Ob rem facere* p. non frustra facere. *Praepedire* p. impedire, quod tamen saepius ab aliis dictum est. *Irae consulere* p. satisfacere. *Quam ocissume ad* provinciam accedere. *Neglegisset* pro neglexisset. *Neglegere* p. negligere. Inter se provincias *parare.* *Arte modum statuere.* *Transvorsa* itinera. *Alium ab alio divorsos* p. singulos viritim. *Si paterent* p. *an* paterent. *Ceterum* p. tamen. *Vastus ab natura* locus. *Incerti* p. qui cerni nequeunt. *Non remitto explorare* p. semper ex-

ploro. *Metello virtus militum erat* p. milites (hostium copiis) fortiores. *Fugam facere* pro *fugere*, fugam capessere. *Alios arte, se opulenter colere* i. e. aliis parum concedere, suo genio indulgere. *Ex copia* i. e. illo rerum statu. *Tamen* scribit, quamvis non praecedat *licet*, *etiamsi* etc. *Viotos dare* p. vincere. *Suo loco* i. e. opportuno; sicut Horatius: ventis *non suis* i. q. adversis. *Natus et omnem pueritiam Arpini altus* p. natus Arpini, ibique per omnes pueritiae annos nutritus. *Agitare* simpliciter p. vivere.

IV.

DE PRAESTANTIORIBVS OPERVM SALLVSTIANORVM EDITIONIBVS, DIATRIBE IOANNIS HERMANNI A MELLE, LVBECENSIS.

I. In iis Salluſtianorum librorum exemplis, ſive ut vulgo dicunt, editionibus*), quae ſine locorum indicio lucem adſpexerunt, numerandus eſt codex anni 1475 in Fol., quem in conſilium adhibuit et laudavit *Tellerus*. Nec alia tantum illa editio ſine die et conſule hic in cenſum referatur, quae, quum antea non innotuiſſet, in Catalogo Ducis de la *Valiere* primum detecta, nec ab ipſo quidem *Deniſio* in ſupplementis ad *Maittairii* Annales usquam indigitata eſt: ſed ejus etiam fiat mentio, quae inſcribitur: Caji Criſpi *Salluſtii* de Lucii Catilinae Conjuratione Liber feliciter incipit, (XX foliis) recenſitae in *Baueri* bibliotheca libr. rar. Vniverſ. P. IV. p. 12. et in ſ. ven. *Maſchii* Beyträgen zur Geſchichte merkw. Bücher. Part. II. 71. Admiraberis autem typographicae artis incunabula, ſi κειμήλιον illud — librum in 4 editum ſine a. et loco, quem *I. A. Fabricius* olim in poſſeſſis habuerat, pervetuſtum, oculis uſur-

*) Hac voce, quae *actionem edentis* ſignificat, non librum editum, et ſimilibus, quas recentior loquendi uſus vel invexit, vel *immutato ſenſu* ad denotandas res priſcis temporibus incognitas adhibuit, in praefatione ſuperſedere nequimus.

pare licuerit; multaque fine dubio meditaberis de exiguis critices initiis, fi quando *Parifinam* editionem in 4, opera Vdalrici *Gering* f. anni nota — a Phil. *Beroaldo* recognitam evolveris.

II. Quod ad editiones *Salluftii* attinet, quae cum loci, anni et imprimentis fignificatione lucem adfpexere, quum multi fint, qui ingentem illarum numerum, fecundum *textus aetates*, non inepte digerant: nos, quia nec incommodis carere, et difficultatibus hanc digerendi rationem premi nobis perfuafum eft, aliam viam ingreffi, in Saeculi cujusvis fine fubfiftere commodius multo, et pro quorumvis captu facilius duximus.

Saeculum XV.

De edit. principe *Salluftii*, quae Venetiis apud Vindelinum de Spira 1470 f. prodierat, audiendus eft *Maittarius* (Annal. Typograph. T. 1) „Quo pauciores funt *Ioannis* et *Vindelini* de *Spira*, nobilis paris fratrum, editiones, eo avidius ob typorum elegantiam a curiofis illae requiruntur."

De ufu autem critico hujus Venetae *Cortius*, judex in hoc genere fatis dives, haec habet in Praef. ad *Salluftium* p. 13: „Non eft illa Editio ejus pretii, cujus vulgo *Editiones Principes* habentur."

Ceterae hujus Saeculi Editiones *Venetae* non tantum ideo, quod nitidae fint, laudandae funt, fed vel ex hac ratione, quod faepe Laur. *Vallae* et Chryfoftomi *Soldi* Commentarios fibi habeant junctos. *Mediolanenfium* Editionum rariffimarum quinque funt, ad quas attendere neceffe eft. Sufpicimus illam *Romae* apud Eucharium *Silber*, alias *Frank* c. Comm. L. *Vallae* 1490 in 4. publici juris factam, quam Neapoli in bibliotheca Ios. *Valettae* fuiffe conftat. Rarus porro eft Salluftius

ille, qui 1495 Brefciae prodiit, quem in confilium adhibuit *Tellerus*, et de quo adeundus *Eckhardtus* in: Nachrichten von einigen ältern Büchern des Gymnafii zu Eifenach. Venerandae vetuftatis duae Editiones funt, quae Valentiae et Vicentiae 1475. lucem videre, quarum prior occurrit Romae in Bibliotheca *Barberina*, pofterior laudata et confulta eft a doctiffimo *Grutero*. Vergente hoc faeculo ad finem, obviam fe dat nobis Iulius *Pomponius Laetus*. Sed qua fronte hunc *Laetum* recipiemus? Si quid apud nos eft, mente non hilari accipietur. Nam immutavit, fi *Voffio* eft fides habenda, nec Io. *Cufpiniano*, temeraria ratione Textum *Salluftii*. Quod teftantur Editiones variae, quarum Veneta VI. prima eft, quae ex recognitione *Pomponii Laeti* lucem adfpexit. Licet fint, qui hanc praeceffiffe aliam putent; ego exiftimo, Venetam 1491. apud Philippum de *Pinciis* effe primam. — Sed in gratiam redeamus cum illo editore, cui certe debemus, quod ex Codice Vaticano Orationes illae *Salluftii* notiffimae et opufcula quaedam alia *Salluftio* adjudicata primo lucem adfpexerunt. — Editionibus modo memoratis addimus denique et Parifinam II. 1496. cura A. Bocard. f.

Saeculum XVI.

Duae Venetae ex rec. *Laeti*, quarum prior 1500. per Io. de *Cereto* f., pofterior opera Io. *Tacuini* de *Fidino* prodierat 1502. f. numerofarum hujus Saeculi Editionum chorum ducunt. Editio autem nitida et rara eft Parifina III. five *Badii* I. quae infcribitur: C. Crifpus *Salluftius* ab *Afcenfio* familiariter explanatus. f. — *Badii* II. lucem Parifiis vidit 1508. fol. min. — *Badii* III. Ibid. 1514 in 4. — In fummo pretio habetur, quae Florentiae apud Iuntas in 8. 1513. cum notis Badii lucem

adſpexit. Magnam ſamam habent Aldinae Editiones V, quarum prima Venet. 1509. 8. ſuperatur a ſecunda, quae Venet. 1521. 8. prodiit. Mitto alias non minus elegantes, ut ad egregiam Editionem cum Iohannis *Rivii* caſtigationibus properem, quae Lipſiae 1539 et 1542. 8. publici juris facta eſt. En hujus praeſtantis operis titulum!

De Lucii Sergii *Catilinae* Conjuratione ac Bello Iugurthino Hiſtoriae una cum Caſtigationibus in easdem Io. *Rivii* Attendorienſis, cum aliis quibusdam, quae ſequens indicabit pagella (ſcilicet) Salluſtii Or. contra M. T. *Ciceronem* — *Ciceronis* Oratio c. C. C. *Sall.* — Oratt. IV. c. Catil. — Porcii *Latronis* Declam. c. Catil. — Fragmm. ex Libris Hiſtoriarum Sall. — *Melanchthonis* notae perbreves, Indd. II. Lipſ. ap. Iac. Berwaldum 1542. Haec Editio illuſtris, quam ignorat *Bauerus*, adſervatur apud Lubecenſes in Bibliotheca publica, in qua et deprehenditur rara Editio *Colonienſis* Belli Catilinarii 1519. in aed. Quentelianis in 4. Minime vero negligenda eſt Editio, quae Lugduni apud Seb. *Gryphium*, in 8. prodiit, quae a Viro κριτικοτατῳ G. *Cortio* filia Aldinae nuncupatur. Nec flocci pendatur Veneta 1515. c. Commentt. et c. Figg ligno inciſis in f. quam recenſent *Bauerus* et *Schwartzius*. Non diſplicet Lugdunenſis illa ap. S. *Gryphium* 1545 in 12. quae incognita erat editoribus Bipontinis. Criticos vero quam maxime adjuvant Editiones Pariſienſes apud Rob. *Stephanum* 1544 et 1554. cum Varr. Lection. in 8. nec minus Editio Lovanienſis c. Notis *Cypriani a Popma*, quae Varr. ex 6. Codd. offert. Ac laude ſane non indiget Antverpienſis Editio cum notis *Carrionis*, quae in officina Plantiniana 1573. in 8. prodiit ſaepiusque eſt repetita. Nam nemo non fatetur, lauream deberi *Carrioni* ob indefeſ-

ſum in *Criſpi* Hiſtoriarum libris colligendis et reſtituendis poſitum ſtudium. Intelligentiores *Salluſtii* Lectores et aegre carebunt Baſilienſi Editione anni 1590 in 8. cum Notis *Glareani*, *Carrionis* et *Iacobi* Bononienſis Ulricique *Hutteni* floſculis, ac Norimbergenſi anni 1599. e rec. et c. Notis Chriſtoph. *Coleri*. Sed his longe praeſtantior in 8. quae 1594. Lugduni Batavorum apud *Raphelium* cum P. *Ciacconii* novis Notis eſt evulgata.

Saeculum XVII.

Soſpitator Salluſtii adeſt. Applaudite homini doctiſſimo, viro acerrimi judicii, indefeſſae diligentiae, et in ignominiam poſterorum nato ut Waſſius eum vocat — *Grutero!* Nam Francofurti 1607. prodierunt in 8. — C. Criſpi *Salluſtii* Opera omnia quae exſtant ex recognitione Iani *Gruteri*, accedunt Caſtigatt. Annott. Notae ac Scholia *Glareani*, *Popmae*, Aldi nepotis, *Palmerii*, *Coleri*, *Rivii*, *Carrionis*, *Vrſini*, *Douſae*, *Putſchii*. — Licet *Coleri* notae omiſſae ſint et interpretum horum praefationes hic deſiderentur; malo tamen huic mederi poteſt, qui hanc Editionem jungit Plantinianae a. 1579. — Ex re Criticorum quoque eſt, *Mureti* notas, Ingolſtadii 1604. in 8. cum aliis in alios Auctores notis, diligenter evolvere. Laudibus juſtis evehendae ſunt Editiones, quae Coloniae ap. Ant. *Hierat*, Neoſtadii ex recenſione *Parei* 1617. et ex eadem recenſ. 1622. Francofurti lucem viderunt in forma 8. Non ingratae autem ſunt duae ex muſeo Iſaaci *Pontani*, quarum prior Amſtelodami apud Ianſſon 1621. in 8. et poſterior prodiit ibid. 1627. in 24. Nec frigide laudamus Editiones *Salluſtii* Elzevierias Lugduni Bat. 1634 et 1645. in 12. publicatas. Approbamus et illam, quae Venetiis apud *Iuntas* et Babam typis exſcripta eſt. Oculos in ſe convertit Editio

Parisina in usum Delphini e rec. et cum notis Dan. *Crispini* anni 1674, Londini 1697. et 1715. in 8maj. repetita. Majores autem fructus petes ex tribus Editionibus Thysio-Gronovianis, quae Lugduni Batav. 1665. 1677. et Amst. c. notis varior. in 8. 1686. in lucem prodiere.

Saeculum XVIII.

Opus illud aere est perennius, quo Iosephus *Wassius*, Anglus, ornavit Editoris *Sallustii* provinciam; inscribitur:

Caji Crispi Sallustii quae extant cum notis integris *Glareani*, *Rivii*, *Ciacconii*, *Gruteri*, *Carrionis*, *Manutii*, *Putschii*, *Dousae* et selectis *Castilionaei*, C. et A. *Popmae*, *Palmerii*, *Vrsini*, Io. Fr. *Gronovii*, *Victorii* etc. acc. *Iulius Exsuperantius*, *Porcius Latro* et Fragmenta Historicorum vett. c. notis A. *Popmae* — recensuit, notas perpetuas et Indices adjecit Iosephus *Wassius* Colleg. Regii apud Cantabros soc. et nobilissimo Marchioni de *Kent* a sacris domesticis. Cantabrigiae apud C. Crownfield 1710. in 4.

Nec virtutibus omnibus caret Editio, quae Londini e recens. Mich. Maittairii 1713. in 12. est typis exsculpta. Non sua laude defraudanda est, quae Patavii ap. Ios. Cominum, in qua Editor *Cajetanus Vulpius* emendationes *Gruteri* sequitur, prodiit 1722. in 8. Magnam celebritatem adepta est Editio Gottl. *Cortii*, Lipsiensis quondam Professoris, quam exosculantur Critici. Prodiit autem illa eximia, licet non ab omnibus naevis sit libera, Lipsiae cum annott. 1724. in 4. Et quamvis eadem exhibeat, quae *Wassianae* insunt modo laudatae, superadditus tamen ex Basileensi edit.

1564. Conſtantii Fel. *Durantini* de Conjuratione Catilinae Liber, apud Waſſium non occurrens, decus illius non parum auget.

Nec etiam displicet Guilielmus *Ged*, Aurif. Edinenſis, qui 1741. Salluſtium non typis mobilibus, ut vulgo fieri ſolet, ſed tabellis ſ. laminis Edinburgi in 24. excudit.

Sed omnium plauſibus excepta eſt et accipi merebatur Editio ſplendida, quam Vir celeberrimus Sigeb. *Havercampius* Hagae Comitum 1742. Tomis II. in 4. c. figg. aeri inc. curavit, qui, Cortio poſthabito, Waſſii et Gruteri Textum reddidit, eumque haud raro emendatiorem, compluraque MSS. Belgica diligenter contulit. Non praetereundus eſt Io. P. *Millerus*, qui 1751 Berolini, *Salluſtii* quae exſtant, edidit in 8. ubi in textu concinnando *Cortium* quidem ducem agnoſcit, quem autem non adeo preſſe eſt ſecutus. — Laudant Editionem Venetam, cum verſione Etruſca, illuſtratam a D. I. Bapt. *Bianchi* Sienenſi, quam 1761. in 8. conſtat prodiiſſe. — In ſinu gerunt nonnulli *Salluſtium* et Florum, Birminghamiae typis Io. *Baskerville* exſcriptum 1773. Aliis arridet *Salluſtius*, qui 1776. Baſſani prodiit apud Remondini in 12. quia Aldinas adamat quam maxime et ſequitur Lectiones. — Sunt qui collaudent I. C. *Brieglebii* diligentiam. Is enim 1773. edidit Coburgi Bellum Catilinarium et Iug. ex rec. G. *Cortii* et ſelectis illius annott. illuſtratum: cui acc. Index uberr. et praemittebatur Vita *Salluſtii* hauſta ex Gerh Io. *Voſſio*. —

Verum enim vero a Muſis ipſis non gratius ac dulcius munus proficiſci poterat, quam id donarium, quod largiebatur 1777. vir in ſummo loco poſitus, Muſarum ac Gratiarum ſatelles. Nemo non intelligit, me *Broſſium* indigitare, qui praeſtantiſſimi, eheu! deperditi operis

gentiaeque Criticorum deberi ingenue fateor. Conf. Nova biblioth. Berolin. in Appendice 1802.

Saeculum XIX.

Saeculi decimi noni primo lustro vix absoluto obviam nobis fit interpres eruditissimus, qui diligentissimam *textus Sallustiani* restituendi curam feliciter egit, Vir praecl. *Dahlius*, cuius politum, omniumque plausu exceptum opus juventuti aeque ac doctis hominibus permagnam praestat utilitatem:

Sallustii Catilina cura M. I. C. W. *Dahlii.* Brunovici 1801. in 8;

sive:

Encyclopädie der lateinischen Classiker IVte, der Geschichte gewidmete Abtheilung. Th. I.

Cui accedebant ejusdem auctoris:

Erklärende Anmerkungen zu der Encyclopädie der lateinischen Classiker. Th. XIII. Ibid. eod. in 8vo.

sive:

Erklärende Anmerkungen zu Sallusts Catilina.

Non pro repetitione textus alius praecedentis edit., sed pro nova recensione opus hoc Dahlianum omnino habendum est. Conf. N. Allg. Deutsche Bibl. Band 65 p. 190.

Addimus:

Caji Crispi *Sallustii* Bellum Catilinarium, s. de Conjuratione Catilinae ejusque sociorum — — mit einer historischen Einleitung, Inhaltsanzeigen und erläuternden Anmerkungen etc. von I. D. *Büchling*.

B., licet G. Cortium sequatur, non raro tamen ab hoc duce discedit, dissensusque rationes in notis textui subjunctis exponit.

De praecipuis et aliarum gentium, et Germanorum inprimis transferendi Sallustii conatibus.

Quanta in existimatione Noster semper fuerit apud omnes Europae cultioris gentes, si non aliunde constaret, cognosci posset vel ex eo, quod a longis inde temporibus hunc potissimum verterent ac sibi facerent familiarem. Vt nihil de translationibus Graecis cum exstantibus adhuc, tum deperditis, quas recenset *Fabricius*, dicam, *Belgarum* nota sunt conamina, ex quibus hic unicam Roterodami 1657. typis exsculptam indigitare lubet; notiora sunt in hoc genere *Hispanorum* studia, quorum ipse linguae genius reddendae Sallustii concinnitati ac ἐνεργείᾳ non parum, ut satis constat, ac peculiari quadam ratione favet. Actum ageremus, si hoc luculentius jam evincere conaremur in Versione illa rarissima, en Medina del Campo edita 1548. in 4., quam habet *Bauerus* et indigitat Bibliotheca Hagana anon. II. 144. Noctuas autem ferremus Athenas, si hoc ex Versione hispanica ab illustrissimo Infante Gabriele condita et en Madrid 1772 in lucem emissa, non ita diu autem a *Tellero* prolixius recensita, confirmare in animum induceremus.

Notissima autem sunt Gallorum praestantissimorum ingenia, quorum ignea vis se non ita pridem et in reddendo Crispo exseruit. — Dum alios allegare detrecto, spatii angustia exclusus, instar omnium sit clarissimus *Brossius*, qui ceu luna inter stellas minores eminet. Cu-

Salluſtiani, Hiſtoriae Romanae ſaeculi ab V. C. ſeptimi Reliquias, e Grammaticis veteribus operoſe admodum per triginta, et quod excurrit, annos collectas, diſpoſitas enucleatasque *Divione* in lucem prodire juſſit gallico ſermone ſcriptas in tribus Voll. in 4. — Quod opus *Broſſianum* non confundendum eſt cum illo foetu poſthumo, qui *Textum originarium* Reliquiarum modo memoratarum latine reddit itidemque Divione eſt publicatus in 4.

Qui nitidiores amat editiones Auctorum Claſſicorum, delectabitur et illa, quae Turici 1778. typis Orelli, Gesneri, Fueslin et ſocc. in 8. exprimebatur. Nobis quidem haecce arridebat ideo, quia ex variis Lectionibus ex Cortiana et Havercampiana ſelectis et huic Hottingerianae ſubjunctis non parum utilitatis in nos redundare ſentiebamus.

Dulces ſunt ac mehercle maturi fructus, quos ex doctiſſimi Harleſii laboribus criticis plus vice ſimplici exantlatis petere licuit. Etenim is Salluſtio, quem Norimbergae 1778. in 8. publici juris fecit, Codicum praedam duorum et Tegerſeenſis et Erlangenſis ſubjunxit; ac in Editione altera auctiore et emendatiore, quam 1797 curavit, alium codicem MS. ab *Herelio* ſibi traditum critica lance ponderavit.

Nova etiam veſte et ſplendore quodam conſpicuus Salluſtius prodibat, quum Manhemii 1779 a ſociet. litterar. — in 8. min. nitide ederetur, de qua edit. conſulendae ſunt Goett. Anz. v. Gel. Sachen 1780 Zug. p. 151.

Et quis tam injuſtus eſſet, ut de laude duplicis edit. *Bipontinae* aliquid detraheret! Inſcribitur prior, quae 1779 in 8maj. edebatur:

Caji Criſpi *Salluſtii* Opera noviſſime varietate lectt. notulisque ſelectis aucta et recognita — praemit-

tuntur vita a Io. *Clerico* ſcripta et notitia literaria, ſtudiis Societ. Bipontinae,

Adjungimus titulum edit. ſecundae:

Caji Cr. *Salluſtii* Opera noviſſime recognita, emendata et illuſtrata — Praemittuntur vita a I. *Clerico* ſcripta et not. literaria ſtudiis Soc. Bipontinae, apud *Petrum Hallanzy.* —

Exſtant etiam in Salluſtium caſtius edendum ſummi Theologi, non ita diu apud Berolinenſes florentis, G. A. *Telleri* merita nunquam non grata mente recolenda. Innuo opus illud ſplendidum, quod inſcriptum eſt;

Cajus Cr. *Salluſtius;* accedit Recenſio noviſſimae verſionis Hiſpanicae — Examen variarum Lectionum — Interpretatio locorum — Index latinitatis. Berolini ex officina et impenſis Io. Fr. *Ungeri.* 1790. 8maj. —

Textum paravit doctiſſimus Criticus ad edit. *Cortianam;* minime autem eam preſſe ſecutus adhibuit in conſilium unam ex antiquioribus, deſideratam in recenſionibus edit. Salluſtii omnibus ac ſingulis, ſcilicet *Brixianam* anni 1495 in fol. Tenendum vero eſt, fragmenta Salluſtiana libro huic praeſtanti non ineſſe. Conf. Gött. Anz. v. gel. Sachen 1791. St. 12.

Manca quidem eſt et imperfecta, non tamen praetereunda ſilentio prioris operum Sall. partis editio, quae 1799 Lubecae in officina Greniana, Bohnii ſumtibus eſt adornata, cui huncce titulum inſcripſimus;

C. Salluſtii Criſpi Bellum Catilinarium ad exemplar S. V. Telleri edidit, notisque, maximam partem ſuis, illuſtr. *H. Kunhardt.* — Nonnulla in hoc juvenili tentamine reprehendenda eſſe, ac benignum, quo quidem exceptum eſt, adſenſum favori indul-

Sallust's Catilina übersetzt von J. C. Schlüter. Münster 1794. 8.

Conf. N. A. D. Bibl. XVI. 1. 79.

Sallust's Jugurtha nebst dessen Episteln an C. I. Caesar über die Staatseinrichtung, übersetzt von J. C. Schlüter. Münster 1795. 8.

Conf. A. L. Z. 1794. St. 91. et N. D. A. Bibl. XVI. 79. In Praefatione vir doctus spem facit edendorum aliquando fragmentorum Sallustii.

K. K. Sallustius Author Catilina und Jugurtha, deutsch und lateinisch, mit dem Leben des Geschichtschreibers, einer durchgängigen Analyse und Bemerkungen sowohl über die allgemeinen Vorzüge des Historiographen, als die Uebersetzung selbst, herausgegeben von Albert Rover Weinzierl, regulirtem Chorherrn in Polling, Doctor und öffentlichen Lehrer der ersten rhetorischen Classe in München. München 1790. 8.

Conf. Allg. deutsche Bibl. CVII. 279. et CX. 228. Altera vice prodiit sub hoc rubro:

Sallustii C. C. Opera. T. I. bellum Catilinarium et M. T. Ciceronis Orationes Catil. IV. T. II. bellum Iugurthinum, Epistolas duas et Fragmenta continens, *übersetzt von A. R. Weinzierl. Lateinisch und Deutsch. II. Theile mit Kpfrn. München* 1805. 8.

Coronidis loco quasdam Commentationes recentiores, quae omne punctum tulerunt, subjungere lubet, quia ad illustrandum Sallustium non parum adjumenti adferunt.

I. C. *Brieglebii* Diss. de Brevitate *Sallustiana*. Coburgi. 1773. 4.

I. C. *Brieglebii* Dissertatio de Ingenio philosophico *Sallustii* Historici. Coburgi. 1779. 4.

I. I. H. *Nastii* Programma de Virtutibus Historiae *Sallustianae*. Stuttgardiae 1785. 8.

I. F. *Roos* Bemerkungen über *Sallust's* moralischen Character. Giessen 1788. 4.

Quod Programma repetitum est 1790 in den Versuchen über die Classiker. 8.

C. D. *Beckii* Programma sistens nonnulla de Iudicio artis historicae auctorum classicorum. Lipsiae 1805. 4.

jus memorabile ſcriptum Divione 1777. tribus voluminibus 4maj., comprehenſum hunc in fronte titulum gerit:

Hiſtoire de la Republique Romaine dans le cours du 7ème Siécle par *Salluſte*, en partie traduite du Latin ſur l'Original, en partie retablie et compoſée ſur les Fragmens, qui ſont reſtés de ſes livres perdus, remis en ordre dans leur place veritable ou le plus vraiſemblable par Charles de *Broſſes*, Comte de Tournay et de Montfalcon, premier Préſident du Parlement de Dijon. —

Sed laureolam ſane non in muſtaceo quaeſiverunt Angli, (gens, cujus neminem fugit ſagacitas et ſummum ingenii acumen) dum in vertendo Salluſtio operam poſuerunt. Quare Th. *Gordonum* laudamus, cujus Verſio Londini 1744. in 4. publicata in deliciis eſt quibusvis humaniorum literarum cultoribus ob doctam Praefationem verſionique junctas Animadverſiones exquiſitiſſimas. — Quid? quod Criſpo contigit, ut Regina *Eliſabetha* ipſa vertendis ejus libris manus admoveret. De qua translatione quum exponat *Camdenus* in commentariis de vita *Eliſabethae*, dolendum eſt, luci illam non fuiſſe expoſitam. — Nec defuere Itali. Nam ut taceam alios, Aug. *Ortica* verſ. Salluſtii Venetiis 1518 prodire juſſit in forma 8va. —

Injurioſi tamen et erga noſtrates ingrati eſſemus, niſi genti noſtrae Germanicae hujus certaminis palmam deberi ingenue fateremur. Sint enim maculae, quas in Verſione *Dieterici de Pleningen* (de qua conſulendus eſt G. W. *Panzerus* in Annalen der ältern deutſchen Litteratur p. 383) abſtergere velis; ſint vitia, quae in *G. Schrayeri*, *Guilielmi de Calchum*, *Balth. Kindermanni*, *M. Dan. Albini* conatibus tolerare no-

lis; ſint naevi, quos merito reprehendant et caſtigent Ariſtarchi in quibusdam vetuſtiorum tentaminibus; ſint denique non adeo pauca, quae Zoilis displiceant in *Wagnero*, *Froehlichio*, *Boettichoro*, *Abbtio*; tamen et horum, et *Meisneri*, *Höckii*, *Schluteri*, *Weinzierlii* merita laude nunquam indigna videbuntur. — Teſtantur autem ſatis et abunde horum interpretum (quorum conſortio I. K. Hoeckium et F. Froehlichium haud indignos cenſemus) dexteritatem et eruditionem libri nunc recenſendi:

Der Catilinariſche Krieg überſetzt von Th. *Abbt.* Frankf. 1772. 8.

Kajus Criſpus Salluſtius vom Catilinariſchen Kriege, überſetzt und mit hiſtoriſchen Anmerkungen von A. G. Meiſsner, Prof. zu Prag. Leipzig gedruckt u. verl. von J. G. I. Breitkopf. 1790. *in gr.* 4. (Opus ſplendidum ac ſumtuoſum)

Verſioni textus latinus eſt e regione adjectus, in quo concinnando Meisnerus Cortium ita ſequutus eſt, ut nimium Variantes lectt. colligendi ſeu potius cumulandi ſtudium, quod in Cortio minime laudandum erat, vitaret. Quare et Meisnerianum textum novae recenſionis inſtar eſſe ſtatuamus. Ingenii vero *Meisneriani* vis vivida cernitur etiam in deſcriptione vitae, ſeu biographia Salluſtii huic Verſ. praemiſſa. De qua memorandum eſt, *Meisnerum* non facere cum *Wielando* clariſſimo, quem ad excuſandum, quam ad criminandum Salluſtium procliviorem fuiſſe ſcimus ex ejusd. notis Verſ. pulcherrimae Satyrarum *Horatii* adjectis. Nobis, qui Meisnerum in exponenda auctoris vita ſequuti ſumus, neque culpa vacuus, nec omni prorſus excuſatione indignus viſus eſt Noſter.

NONNVLLA VETERVM DE SALLVSTIO IVDICIA.

Seneca philos. Lib. IX. decl. 1.

„Quum ſit praecipua in Thucydide virtus brevitas; hac eum Salluſtius vicit, et in ſuis illum caſtris cecidit. — — — Ex Salluſtii ſententia nihil demi ſine ſenſus detrimento poteſt.“

Quintil. Lib. II. Cap. 5.

„Livius a pueris magis legendus, quam Salluſtius; et hic hiſtoriae majoris eſt auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus ſit.“

Confer. ejusd. Lib. X. Cap. 1.

Martialis Lib. XIV.

„Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Criſpus Romanà primus in hiſtoria.“

Seneca Rhet. Decl. Lib. III.

„Orationes Salluſtii in honorem hiſtoriarum legantur.“

Sueton. de claris Grammaticis:

„de Philologo Aſinius Pollio librum ſcripſit, in quo Salluſtii ſcripta reprehendit, ut nimia verborum affectatione oblita.“

Iustin. Hiſtor. Lib. XXXVIII.

„Pompejus Trogus in Livio et Salluſtio reprehendit, quod conciones directas ac orationes operi ſuo inſerendo hiſtoriae modum exceſſerint."

Similium teſtimoniorum atque judiciorum ingentem copiam congeſſit *Dan. Criſpinus*, Salluſtii in uſum Delph. editor. Sed haec ſufficiunt iis, qui, quid olim laudatum atque reprehenſum ſit in Noſtro, ſcire cupiunt.

CAII CRISPI SALLVSTII
BELLVM CATILINARIVM
SIVE
DE CONIVRATIONE CATILINAE EIVSQVE SOCIORVM.

CAPVT I.

[*Expofitio conjurationis Catilinariae.* In primis *quatuor* capitibus inftituti fui rationem expofiturus, multa protulit Nofter, quae cuilibet libro hiftorico praemitti potuiffent, et laxiore tantum nexu cum re tractanda cohaerent. Nam quod in praefationibus interdum optimis fcriptoribus accidit, ut flumine quodam orationis et rerum dicendarum copia et pondere a recto ordinis tramite abriperentur, id olim jam in Crifpo vituperavit Quintilianus, qui: *C. Salluftius*, inquit, *in bello Iugurth. et Cat. nihil ad hiftoriam pertinentibus principiis orfus eft.* — Sed notionum haec fere feries eft:

1) Et ingenii et corporis viribus (nam duplicem hanc vim complectitur hominis natura) gloriam quaerere poffumus.

2) Quamvis autem animi imperium corporis fervitio carere non poteft, tamen, quia mentem cum diis communem habemus, praeftat ingenii monumentis gloriam fibi comparare.

3) Ne in bello quidem ſine ingenio res proſpere geruntur, quod periculis multis compertum eſt.

4) Quo magis vituperandi ſunt, qui, praeter voluptatem nihil quaerentes, indocti incultique vitam transigunt.

5) Sed vario modo et multiplici via clarum fieri licet — vel rebus geſtis, vel geſtarum narratione. Praeſtantius quidem eſt *facere*, quam *facta narrare*, ſed ſcribentis quoque negotium habet ſuas difficultates.

6) Equidem, quum publicis muneribus obeundis fruſtra gloriam quaeſiverim, nolo bonum otium conterere, ſed procul a republica vitam agens, res geſtas P. R. perſcribam, non omnes quidem, ſed maxime memorabiles. Catilinae autem conjuratio principem inter has locum obtinet.]

Omnis homines, qui ſeſe ſtudent praeſtare ceteris animalibus, ſumma ope niti decet, vitam ſilentio ne transeant, veluti pecora, quae natura

Omnis homines — haec *Accuſat. plur.* forma veteribus uſitata fuit. Audiamus Priſcianum, qui: „Nominum, inquit, quae tam Nominativum, quam Genitivum ſimilem habent, eorum Accuſativus raro in *es*, frequenter in *is* ſolet terminari" — eamque regulam pluribus locis, et his etiam Salluſtii verbis, confirmat. Plura vero hujus dictionis exempla ſedulo congeſſit doctiſſimus Dahlius in obſſ. Cat. illuſtr. p. 4.

ſeſe ſtudent praeſtare. Pronomen perſonale ſalvo ſenſu abeſſe poterat. Similiter tamen dicta paſſim occurrunt. E. c. *gratum ſe* videri ſtudet — pro: *gratus*, etſi non prorſus eadem eſt horum verborum (apud Cic. de Off. L. II. obviorum) junctura. Dici enim non potuiſſet: gratum videri ſtudet. Nam Accuſativo ſemel poſito idem pronominis caſus neceſſario fuit addendus.

cet. animalibus. Animal h. l. eſt quodcunque ſpiritum ducit, ſive genus *animantium* omnino. Recte Dahlius: *lebende, empſindende Weſen.*

transeant rectius eſt et ad auctoris ſententiam ſignificandam aptius hoc verbum, quam

prona atque ventri obedientia ſinxit. Sed noſtra omnis vis in animo et corpore ſita: animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. alterum nobis cum dis, alterum cum belluis com-

tranſigant, cum vitam notet otioſam, quae ſilentium a S. vocatur. Non enim *tranſigunt* vitam homines otioſi. Illuſtrant hunc locum Senecae verba Ep. 93. a Cortio citata: „Hoc a me exige, ne velut per tenebras aevum ignobile emetiar; ut *agam* vitam, non ut *praetervehar.*"

prona — ſenſu proprio, h. e. ad terram inclinata. „Natura enim, inquit Cic. de leg. I. 9. cum ceteras animantes *abjeciſſet ad paſtum*, ſolum hominem erexit, ad coelique, quaſi cognationis — — — — conſpectum excitavit: tum ſpeciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Cfr. Ovid. Met. I. 84.

Sed noſtra etc. Hic diverſas corporis animique vires, e quibus conflata eſt hominis natura, propterea commemorat, ut facilius intelligatur, quatenus ceteris animalibus praeſtare poſſimus. Sed paulo contortus eſt notionum ordo. Ante quam enim de praeſtantia naturae humanae loqueretur, pauca prius explanare debuiſſet de hominum atque brutorum ſimilitudine et differentia. Nunc ea repetit, quae praemittenda fuiſſent.

Omnis vis — omnis virium complexus — unſer ganzes Kraftmaſs — der Inbegriff unſerer ſämmtlichen Kräfte.

Alterum — *alterum*, ſc. animus et corpus; non autem ſupplendum eſt: *animi imperium et corporis ſervitium.* Nam belluae, cum animi imperio careant, corporis ſervitio non utuntur. Non enim ſervit corpus, ubi non imperat animus. Ceterum ſublime profecto dignitatis humanae ſimulacrum ineſt in his verbis. Sic etiam in Iug. Cap. I. animum vocat ducem atque imperatorem vitae mortalium. Vid. quae ibi notavimus de Stoicorum philoſophia. Graeci quoque ἡγεμονα et το ἡγεμονικον paſſim adpellant mentem actionum humanarum gubernatricem. — Lectu vero etiam digniſſima ſunt Ciceronis verba in Quaeſt. Tuſc. c. 13. quae a Dahlio citata adponere juvat: „humanus animus, decerptus ex mente divina, cum alio nullo, niſi cum ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt."

cum belluis. Bellua h. l. eſt

mune eſt. Quo mihi rectius videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipſa, qua fruimur, brevis eſt, memoriam noſtri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis: Virtus clara aeternaque habetur. Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius, quam incipias, conſulto: et, ubi conſulueris, mature facto opus eſt. Ita

nomen animantium brutorum omnino.

rectius — honeſtius, humana praeſtantia dignius.

virium. Quod alias de mente pariter ac de corpore dicitur, id h. l. corporis robur ſignificat; i. q. infra *vis corporis.*

Opibus virium i. q. contentione.

fluxa atque fragilis eſt. Aptiſſima verba ad ſignificandam illarum rerum vanitatem. Ut enim fluidum omni caret ſtabilitate, ita corporis venuſtas et opulentia non ſunt diuturnae, ſed undarum inſtar labuntur, franguntur que inſtar vaſorum.

Virtus — fortitudo viris digna; vis atque excelſitas animi.

habetur. Non *habetur*, ſeu *ducitur* tantum, ſed revera *eſt* praeclara. Noſter autem in periodorum fine, quo numeroſiorem faciat orationem, verbo *haberi* ſaepe utitur pro *eſſe.* Ceterum eadem ſententia C. II. belli Iug. aliis verbis dicta repetitur. Adlegatur etiam ab interprett. ſimilis Taciti locus: „ut vultus hominum, ita ſimulacra vultus imbecilla ac mortalia ſunt; forma mentis aeterna. Vit. Agric. C. ult.

an virtute animi. Idem quod: *vi animi*, quam Graeci ἀρετὴν dicunt. — Similis eſt apud Nepotem locus in v. Thraſybuli: — — „quod in proelii concurſu abit res a conſilio ad vires, vimque pugnantium. Itaque jure ſuo nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat.“

magis procederet idem quod alias: proſperius, melius procederet.

mature ſine cunctatione.

utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio veget.

CAPVT II.

Igitur initio Reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita homi-

Idem praecipit Demosthenes in prima orat. Philippica: *δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς.*

utrumque animi deliberatio et corporis robur.

veget. Hanc lectionem, e conjectura Palmerii a nonnullis receptam, cum *Tellero* et *Dahlio*, viris doctiss., nunc praefero Cortianae. Cortius enim cum vetustissimorum codd. consensu recepit: *eget.* Sed recte observat Dahlius: *indigens eget* languidius dictum esse. *Vegere* autem est: *confirmari*, *corroborari.* Sensus: utrumque, etsi ab altero sejunctum debile sit et infirmum, crescit firmiusque redditur alterius auxilio.

Cap. II. *Igitur.* Haec particula non semper habet vim colligendi, sed usurpatur interdum ab auctoribus, ubi ad rem aliquam tractandam sese accingunt. Hoc tamen loco respicit ad antecedentia, quasi dixisset: *Quoniam igitur duplex inest homini virium genus* etc.

initio h. e. primis illis temporibus, quum civitates conderentur.

imperii — pro: imperantium; summorum magistratuum.

diversi — indole scilicet atque animi inclinatione — nach der Verschiedenheit ihres Characters.

pars — *alii.* Hae voces semper sibi invicem ab auctore nostro opponuntur, nunquam autem: pars — pars. Nec etiam: *alii* — *alii.*

etiam tum. Vim quandam hae particulae, sic combinatae, habent. Nam ignota erat Sallustii tempore vita sine cupiditatibus; cfr. quae infra occurrunt: „*etiam bene dicere haud absurdum.*“ Cfr. Iug. LXIII. extrem. Huic interpretationi prorsus repugnant Cortii verba: „*et jam tum*“ — non aliter, ac si jam tum ita, ut sui aevi homines, vivere coepissent.

num ſine cupiditate agitabatur, ſua cuique ſatis placebant. Poſtea vero quam in Aſia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienſes coepere urbes atque nationes ſubigere, lubidinem dominandi cauſſam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare: tum demum

ſine cupiditate. Saepe *cupiditas* quemlibet adfectum vehementiorem et illicitum, plerumque tamen, et hoc etiam loco, *avaritiam*, *habendi cupidinem* cum injuſtitia conjunctam, ſignificat. Illum vocis ſenſum hab. ap. Cic. Epiſt. VII. ad Lentul.: ſin aliquid eſſet offenſum, et *cupide*, et temere feciſſe dicturos. Simillimus huic noſtro loco eſt ille ap. Tacitum, quem citavit interpr. modo laud. Annal. III. 26.

agitabatur. Frequentiſſime occurrit apud Noſtrum vox *agitare* pro *agere*, ita ut abſolute interdum ponatur, interdum vero conjungatur cum *vita*. E. g. Iug. C. 14: „propius mare Africum *agitabant*. Cfr. Cap. 85. in omni Africa, quae procul a mari incultius *agebat*.“ Sed aliis etiam ſubſtantivis jungitur verbum *agitare*; e. g. *ag. remp.*, *imperium*, *bellum*, *pacem*, *mores* etc. Amat enim Salluſtius verba frequentativa.

in Aſia Cyrus. Cambyſis filius, ex Mandane Aſtyagis filia, rex Perſarum, qui, devicto Aſtyage, Medos, luxuria perditos morumque corruptela debilitatos, Perſis ſubjecit, Croeſum ſpoliavit captivumque duxit, Babyloniorum regem, Nabonadium, vicit, Syriam Phoeniciamque ſuae ditionis fecit, poſtremo autem vel in regno Bactriano, quod occupaverat, vel illato Scythis bello, a Tomyride — Maſſagetarum regina, inſidias in montibus ſtruente, cum ducentis Perſarum millibus, anno circiter a. C. 529. trucidatus eſt. Hujus regis vitam moresque *Xenophon* in *Cyropaedia* effinxit magis, quam narravit. Cur autem Cyrum, ante quem plures olim reges longinquas terras occupaverant, prae aliis nominaverit — optime expoſuit Dahlius. Praecipua tamen cauſa, quam ille ultimo loco memorat, haec videtur fuiſſe, quod *ingenio* ſuperatos eſſe a Cyro priorum temporum reges acceperat. Alias enim intelligi non poſſet, cur poſt hujus demum victoris tempora compertum ſit, in bello plurimum valere ingenium.

in maxumo imperio putare. Brevis eſt et elliptica locutio

periculo atque negotiis compertum eſt, in bello plurimum ingenium poſſe. Quod ſi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, uti in bello, valeret, aequabilius atque conſtantius ſeſe res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac miſceri omnia cerneres. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum eſt. Verum ubi pro labore deſidia,

pro: *ſitam putare.* Alium ſenſum Cicero ſubjecit his verbis: *putare in fortuna.* Haec enim ſignificant: pro fortuna aliquid habere.

periculo i. q. experimento periculoſo.

negotiis h. e. laboribus ingratis et difficilibus.

poſſe i. e. quod *valere*, quocum nonnunquam jungitur. E. g. „quantum potes et vales." Cic. Att. IV. 13.

imperatorum. Non eos intelligit, qui magnis bellis feliciter geſtis a militibus hoc nomine adpellari, et Senatus decreto dignitate imperatoria cohoneſtari ſolebant, ſed eos omnino, qui in bello aeque ac pace aliis imperabant. De Romanis enim non loquitur.

valeret. Hanc vocem, niſi negari putes a Salluſtio, quae ipſe deinceps adfirmat, non idem, quod antea τὸ *poſſe* ſignificare videbis. Senſus loci eſt: ſi tanta eſſet imperatorum [illegible]tus etc.

neque aliud etc. His verbis ſuam ipſe ſententiam explicat. Nam quod huc et illuc fertur, non eſt aequabile et conſtans.

ferri. Hoc verbum *celerem* plerumque motum;

miſceri contra *turbulentum* ſignificat. Omnem hunc locum ita verterem: Wenn der Regenten und der Gewalthaber Geiſteskraft im Frieden ſich eben ſo thätig als im Kriege zeigte, ſo würden die menſchlichen Einrichtungen (die Verfaſſung der Staaten) mehr im Gleichgewichte bleiben, und länger beſtehen; man ſähe ſie nicht nach verſchiedenen Richtungen ſchwanken, nicht (ſo oft) Alles dem Wechſel und der Verwirrung unterworfen.

artibus h. e. ſtudio partis animi virtutibus. Iſtae artes paulo poſt deſidiae, lubidini, atque ſuperbiae opponuntur.

labore. Ut ex oppoſito liquet, labor hic induſtriam ſignificat.

pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur, ita imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur. Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam, sicuti peregrinantes, transegere: quibus, profecto contra naturam,

lubido. Quae vox antea cupiditatem universe significabat, eadem hic intemperantiam denotat. Superbia, quum hic opponatur *aequitati*, est vitium eorum, qui, *aequalitatis* civium obliti, sese jactant, et alios prae se contemnunt.

invasere. Elegantissime; sunt enim quasi hostes reipublicae.

fortuna, rerum publicarum conditio. Depingit h. l. duabus lineis tristem et lugendam reip. Romanae imaginem.

ad optumum quemque a. m. b. sc. ad eos, qui depravatis reip. temporibus *optimi* h. e. maxime idonei sunt ad regendam civitatem. Non autem solum ad ejus reip., quae sceleribus contaminata sit, cives *meliores* respexisse videtur Noster; nam ubi pauci sunt boni, non remanet virtuti sua dignitas; nedum ad Caesarem, quod utrumque autumavit Tellerus; sed omnino ad viros fortes et incorruptos, a quibus, sive indigenae sint, sive externi, civitates debilitatae subiguntur.

Quae h. arant etc. Sensus est: Ne ipsa quidem agricultura, navigatio etc. et reliqua leviora vitae negotia, sine virtute, h. e. *sine aliqua vi mentis* prospere procedunt — suppl. nedum illa graviora. Bene *Hökkius* vertit: „Selbst beym Ackerbau, bey der Schiffahrt, und dem Bauwesen richtet sich Alles nach den Gaben des Kopfes." Eleganter *Meisnerus*: Alles was der Mensch in Landbau, Schiffahrt etc. thut, ist seines Geistes Werk. Sed singularis est, nec alias usitata locutio. Quum enim verba *arare, navigare* etc. Accusativo juncta sint, transitivam habere significationem videntur. Facile autem mederi posses obscuritati, si legeres *virtute omnia parant*, sc. quae arando, navigando, aedificando sibi comparant.

transegere. Verbo antecedenti: *peregrinantes* magis congruit lectio quorundam codd. *transiere.* Idem probat, abnuente Cortio, Tellerus.

contra naturam, ganz gegen die Absicht der Natur.

corpus voluptati, anima oneri fuit. eorum ego vitam mortemque juxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, praeclari facinoris, aut artis bonae famam quaerit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

CAPVT III.

Pulchrum est bene facere reipublicae: etiam bene dicere haud absurdum est: vel pace, vel bello clarum fieri licet: et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere multi laudantur. Ac mihi quidem, tamen etsi haudquaquam par gloria se-

juxta aestumo h. e. vitam non majoris aestimo, quam mortem. Beides ist mir von gleichem Werthe, i. e. ich achte des einen so wenig als des andern.

siletur, de iis nihil memoratur.

aliquo negotio. Usitatius est: *alicui* negotio, sive *in* aliquod negotium.

facinoris. Facinus est vox media, quae, prout cum hoc vel alio adjectivo jungitur, praeclara et turpia significat. Hoc autem loco opponitur *arti bonae*, ita ut illud industriam diligentiamque in rebus gerendis, haec dexteritatem in aliquo studiorum et artium liberalium genere, denotet. *Bonam* vocat eam artem, quae servilibus negotiis praestat, et virtuti non est contraria.

CAP. III. *pulchrum est.* Varias nunc vias demonstrat, quibus nominis gloria possit quaeri. Cfr. Iug. C. II. in fine.

absurdum. Hac voce ad significandos ingratos auribus sonos saepissime utuntur Latini. Deinceps vero omnia, quae hominem ratione praeditum non decent, dicuntur absurda.

et qui fecere etc. Dignus est, qui comparetur, locus apud Plinium simillimus Ep. VI. 16. a T. citatus: beati — quibus datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda.

quatur ſcriptorem et auctorem rerum; tamen in primis arduum videtur res geſtas ſcribere: primum quod facta dictis ſunt exaequanda: dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malivolentia et invidia putant: ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quae ſibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; ſupra ea, veluti ficta, pro falſis ducit. Sed ego adoleſcentulus initio, ſicuti plerique, ſtudio ad rempubli-

Arduum eſt proprie adſcenſu difficile. Verum hic tamen non ſolum ſtudii difficultatem, et laboris gravitatem, ſignificare videtur, ſed omnia, quae rerum geſtarum ſcriptores offendere poſſunt. Vid. not. ſeq.

exaequare facta dictis, it. *aequare* Liv. VI. 20. h. e. verbis ita rem exprimere, ut neque nimis laudentur honeſta, nec turpia nimis vituperentur, utque lector, quid et qua ratione aliquid factum ſit, ſtatim intelligat.

dehinc. Refert hic Salluſt. inter hiſtoriae ſcribendae difficultates ea, quae in hominum erroribus, non in re ipſa quaeri debent.

quae delicta etc. Sic eſt conſtruendus verborum ordo; quia plerique ea delicta, quae (forſan) reprehenderis, malivolentia et invidia putant reprehenſa eſſe.

malivolentia „eſt voluptas ex malo alterius ſine emolumento ſuo" Cic.

ſupra ea: „quae facultatem malevolorum ſuperant." *Dahl:* Was drüber hinaus geht, ihre Kräfte überſteiget.

adoleſcentulus. Quamqnam hic imbecillem intelligi aetatem e ſequentibus et forma deminutivi adparet, meminerint tamen juvenes, Romanos non modo ſumta virili toga, ſed etiam poſt annum aetatis trigeſimum *adoleſcentes*, eosdemque *juvenes*, vocatos eſſe. Vid. plura exempla apud Manutium in Comm. in Cic. Epiſt. ad Famil. L. II. Ep. I. p. 209.: „Quid, quod Salluſtius in Conjurat. Catil. adoleſcentulum adpellat *C. Caeſarem*, anno quo pontificatum maximum eſt adeptus." Cicero adoleſcentes vocat Brutum et Caſſium, quo anno praeturam gerebant, i. e. anno aet. XL.

ſtudio i. e. animi inclinatione. Arridebat, inquit, mihi

cam latus ſum, ibique mihi advorſa multa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametſi animus aſpernabatur, inſolens malarum artium; tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur: ac me, cum ab reliquorum malis moribus disſentirem, nihilo minus honoris cupido, eadem, quae ceteros, fama atque invidia vexabat.

respublica, i. e. munera atque honores reip. mihi arridebant. Nonnulli legunt contra MSS. fidem: *a ſtudio;* quod etiam contigiſſe videtur *Meisnero,* qui vertit; da ich —— von den Wiſſenſchaften zu Staatsgeſchäften überging. Ceterum non liquet, utrum de praeparatione ad civilia negotia loquatur Criſpus, an de ipſa munerum adminiſtratione. Sumta enim virili toga concionibus populi intereſſe, et legibus atque inſtitutis reip. cognoſcendis praeviam operam dare ſolebant adoleſcentes; munus vero publicum ante vigeſimum quintum aetatis annum non adminiſtrabant. Utrumque autem (tam praeparatio, quam ipſa functio) intelligi poteſt.

ibique m. m. adverſa fuere — i. e. et *in rep.* multa me offenderunt.

pudore afficitur, quicunque vel turpem aliquam et honeſtati contrariam, vel minus decoram, actionem ſuscipere veretur.

abstinentia ſaepe ita diſtinguitur a *continentia*, ut abstinens ſit, qui aliena neque adpetit, neque poſſidentibus eripit, continens, qui voluptatibus non nimis indulget.

virtute. Virtus hic, quum opponatur avaritiae, pecuniae oblatae contemtum, qualem *viri* fortes et Camillo ſimiles muneribus habere ſolebant, ſignificare videtur.

vigebant. Cfr. Ovid. Met. I. 129.

ambitione i. q. paulo poſt: *honoris cupiditate* ſc. circa honores occupata.

nihilo minus honoris cupido, eadem, quae ceteros, fama atque invidia vexabat. Obſcuritas hujus loci inde nata eſt, quod dubium relinquitur, primusne an ſextus primae declinat. caſus intelligi debeat. Si Nominativus intelligitur, vo-

CAPVT IV.

Igitur ubi animus ex multis miſeriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi; non fuit conſilium ſecordia atque deſidia bonum otium conterere: neque vero agrum colendo, aut venando, ſervilibus officiis intentum, aetatem agere; ſed a quo incepto ſtudio me ambitio mala

cem *et* ante pronomen *eadem* omiſſam ſtatuimus. Et ſic quidem facillime expeditur difficultas: „honoris cupido, et eadem, quae ceteros, fama etc. Sin cum Gronovio Ablativum ponimus, ut *fama atque invidia* ſit *ἓν διὰ δυοῖν*, vox *quae* in *qua* mutanda eſt. Sed recte obſervat Dahlius, connectendi particulas ſaepius a Salluſtio praetermiſſas eſſe. Equidem miror, neminem interpretum, ſi vulgatam lectionem ſemel mutandam cenſerent, legiſſe: me — — honoris *cupidum*, eadem, quae ceteros, fama atque invidia vexabat.“ Quae mutatio per ſe facilis omnem ſtatim tolleret verborum ambiguitatem. Neutiquam autem *fama* h. l. eſt, quod Meisnerus reddidit: (eigne) Ruhmſucht — — ſed hominum malignorum contumelia, qui Criſpum, honoris cupidum, diffamabant inviſumque reddebant.

Cap. IV. *aetatem* — — *habendam*. Sic etiam Iug. C. 85: *ubi adoleſcentiam habuere* etc.

otium, ut ex hoc loco adparet, non eſt ab induſtria diligentiaque alienum; fruitur otio, qui immunis eſt a publicis negotiis.

ſervilibus. „Non inhoneſtis per ſe, ſed quae ſervis relinqui poſſint.“ Tell. Recte. Nam ad antecedentia illa: corporis *ſervitio* magis utimur, reſpexiſſe auctorem Cortio probabile eſt. Et praeſtantiſſimos olim viros venationi, agriculturae ſimilibusque negotiis operam dediſſe conſtat inter omnes. Summis adeo laudibus vitam ruſticam extollit Tullius, in Catone M. c. 15.

a quo incepto ſtudio — regreſſus ſum ad idem ſtudium, a quo, cum jam inceptum eſſet, me ambitio etc. Hoc loco defendi poſſe dicerem lectionem ſupra vituperatam „*a* ſtudio ad rempublicam latus ſum,“ niſi ratio ſupra allata obſtaret. *Litterarum* igitur *omnino*, non

detinuerat, eodem regressus, statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere: eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus reipublicae animus liber erat. Igitur de Catilinae conjuratione, quam verissume potero, paucis absolvam. nam id facinus in primis ego memorabile existumo, sceleris atque periculi novitate. De cujus hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

historiae tantum studium intelligo, in eoque Dahlium sequor.

carptim: ita ut eligam singula historiae fragmenta: nam rejiciendum jure censuit Tellerus, quod in aliis quibusdam legitur: *strictim*, „quod plane, inquit, non convenit proposito Sallustii."

eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus reip. animus liber erat. His potissimum verbis adducor, ut credam, Sallustium non eo tempore, quum Senatu esset motus, sed post reditum ex Africa hoc suum opus edidisse. Nam recte Dahlius conjecit, amissa dignitate senatoria Crispi animum neque spe, neque metu vacuum fuisse —. Sed tum forsan collegit ea, quae ad scribendam Catilinae historiam pertinerent, ut aliorum interpretum opinio cum hac rectiore sententia quodammodo conciliari posse videatur. —

de Cat. conjuratione. Observent legentes, Catilinae facinus non *bellum*, sed *conjurationem* ab ipso auctore vocari, vulgatam igitur libri inscriptionem rejiciendam fuisse, quod confirmat Dahlius aptissimo loco e Ciceronis Orat. I. Cap. 10 depromto, ubi Catilinae factum *latrocinium* potius quam *bellum* nominandum esse dicit.

De Cat. conj. — absolvam sc. narrationem.

explananda. Hocce verbo innuit auctor, se non simpliciter de moribus Catilinae narrare, seu commemorare, sed in animum ejus altius descendere, et obscuriores tanti facinoris causas eruere velle, ut ex antecedentibus intelligantur sequentia.

CAPVT V.

[*Summa Capitum V — XIII. codicis Cortiani*, *ſive I — IX. Telleriani.* In enarrandis hominum vel virtute vel vitiis inſignium facinoribus non eandem ſcriptores rationem ſequuntur. Sunt enim qui, nulla morum delineatione praemiſſa, ad rerum geſtarum narrationem ſtatim progrediantur, ut ex ipſa factorum ſerie virorum indoles eluceat; quae quidem ratio in plerisque excellentium imperatorum vitis Cornelio Nepoti placuiſſe videtur. Nonnulli contra, in his Salluſtius, facinoribus ipſis praemittunt eorum, qui fecere, quandam imaginem, tamquam exemplar, quocum facta poſſint conferri — quem ſcribendi morem haud immerito vituperaverunt recentiores. Hoc enim qui faciunt, non augent, ſed debilitant animi attentionem, et parum modeſte praejudicantes, in ſuos errores nonnunquam trahunt legentem. Attamen, quae Cap. primo (V) de Catilinae moribus commemorat Noſter, non veriſſima tantum per ſe, ſed etiam propter brevitatem gravitatemque ſermonis lectu digniſſima ſunt. Haud interim ſcio, an magis oblectaſſet legentium, poſterorum in primis, animos, ſi Catilinae originem et nefanda illa, quae ante ſusceptam hominum factioſorum cauſam commiſerat, ſcelera fuſius narrare voluiſſet. Nunc autem, turpiſſima latronis effigie praemiſſa, a vetuſtiſſimis inde temporibus populi Romani hiſtoriam repetit, et in cauſas tam creſcentis paulatim reip. magnitudinis, quam ingruentis ſenſim vitiorum contagionis ſolertiſſime inquirit (Cap. II — IX), quo facilius intelligatur, nebulonem iſtum, tot flagitiorum maculis inquinatum „in tanta tamque corrupta civitate“ exſiſtere potuiſſe. Et fatendum eſt, in omni hac praefatione Criſpum luculenta exhibuiſſe doctrinae atque ingenii ſpecimina. Tota enim illa gravibus acutisque ſententiis abundat, rerumque cauſas, etiam

remotiſſimas legentium animo tam perſpicue repraeſentat, ut philoſophandi ſolertiam in homine leviſſimo non ſatis queas admirari.]

CAP. V. Vt omiſſa quodammodo ſuppleamus, pauca *de Catilinae vita ante conjurationem acta* intexere liceat. Facilior enim redditur opera noſtra ſtudio atque diligentia *Dahlii*, viri doctiſſimi. Hunc igitur et *Morgenſternium* V. C. in enarranda Catilinae vita ſequuturi ſumus.

„*Lucius Sergius Catilina* anno V. C. circiter ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo (ante Chriſtum 106, ante Ciceronem primo, vigeſimo ante Salluſtium) natus, e patricia Sergiorum gente, quae *Sergeſtum*, *Aeneae* comitem, pro conditore ſuo habebat, originem duxit. Nobilis illa gens, etſi dubiam antiquiſſimae vetuſtatis famam verſibus illis Virgilianis: „*Sergeſtusque, domus tenet a quo Sergia nomen,*" nacta eſſet, qui leguntur Aen. V. 121. multos olim progenuerat viros, rerum geſtarum gloria inſignes; in his *M. Sergium*, Catilinae proavum, qui in bellis Punicis egregia virtutis documenta edidiſſe fertur. Vide Plin. H. N. 28.

Pater autem Catilinae, nullo memorabili facinore clarus, in egeſtate vitam egerat. Nam filius a *Quinto Cicerone* (in libro de petitione conſulatus) „*in patris egeſtate natus*" dicitur. Qui quanta fuerit corporis vi et animi praeditus, et quam turpiter abuſus ſit naturae dono, Salluſtius ipſe retulit. Praetermiſit autem, quod Catilina in bello civili, contra Marium ſuſcepto, A. V. C. 665—667., Sullae partes ſecutus eſt, in ejusque exercitu Quaeſtoris munus adminiſtravit. In quo certamine quum Sulla viciſſet, ac victoria crudeliter uti coepiſſet, ſaevum habuit adjutorem Catilinam, caede, rapinis, proſcriptionibus gaudentem, et injuriam, a nonnullis antea ſibi illatam, tanta crudelitate ulciſcentem, ut cives aliquot ſua manu trucidaret. Vid. Quint. Cic. de petit. conſ. Cap. 25. Quid? quod ne fraterno quidem ſanguini pepercit. Plutarchus enim (in vita Sullae C. 32. et Ciceronis Cap. 10) refert, in ipſo bello civili, incerto adhuc turbarum exitu, fratrem ab eo necatum, eundemque poſtea, rogatu interfectoris, a L. Sulla, quaſi viveret, in proſcriptorum tabulas relatum eſſe. Accedit, quod ſororis maritum, Caucilium, „*equitem Romanum, nullarum partium, cum ſemper natura, tum etiam ae-*

LVCIVS CATILINA nobili genere natus, magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo

tate jam quietum" interemisse culpatur a Q. Cic. l. cit. Cap. 3. Sed omnem fere fidem excederet, si de fratricida quidquam incredibile dictu narrari posset, illa crudelitas, quam in M. Mario Gratidiano exercuisse dicitur. Ad hunc enim, Marii propinquum, simulac proscriptus ille esset a Sulla, quasi sanguinem ejus sitiret, festinanter accurrit, omnibusque cruciatibus trucidavit, tum caput miseri hominis resecatum Sullae obtulit, et, quod pessimum est, manus caede foedatas in Apollinis templo aqua lustravit. De quo crudeli supplicio qui plura legere cupit, adeat Senecam *de Ira* III. 18. conferatque locos infra citatos — Cic. de pet. Cons. C. 2. 3. Flor. Hist. III. 21. Plutarch. Vit. Sullae — et Commentarium doctiss. Dahlii, cui haec me debere grato animo profiteor. Hujuscemodi sceleribus Sullae ita se commendavit Catilina, ut A. V. C. 686. praetor eligeretur, et anno post Africam provinciam obtineret, cui quidem ita praefuit, ut dubitare possis, crudeliusne an avarius egerit. Nam fraude, furto atque rapinis, nec privatorum bonis, nec publico aerario parcens, divitias sibi quaesivit, innocentes aliquot homines indicta causa supplicio capitis adfecit, postremo ita se gessit, ut indomitam animi effrenati lubidinem, non honestatis legem, sequeretur. Unde quum locupletatus Romam reversus esset, Consulatum summo studio ambivit, pecuniam malis artibus quaesitam largitionibus atque luxuria profudit, et ignominiae, qua se adfectum putabat, ulciscendae causa, adversus patriam conjuravit. —

Reliquam ejus vitem exposuit ipse Sallustius. Hisce praemissis, ad capitum, quorum argumenta paucis delineavi, singulos locos illustrandos pergo.

Lucius Catilina — — pravoque. Magnum pondus habet in exordio totius libri hujus enunciationis brevitas atque concinnitas. Vides enim hic primas quasi lineas picturae perfectissimae!

nobili genere n. Nobiles autem habebantur, quorum majores summis in rep. honoribus — consulatu nempe, vel praetura vel aedilitate — fuerant functi. His enim licuit majorum imagines in atrio collocare. Catilina tamen propterea *nobili* genere ortus dicitur, quod e patricia Sergiorum gente originem duxerat,

pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere: ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, supra quam cuique credibile est. Animus audax, subdolus, va-

quamvis plebeji etiam, si majores eorum summos gesserant magistratus, eo ipso erant nobilitati. Nec vero Noster infra Iug. 93. Sullam diceret: „*gentis patriciae nobilem* fuisse, si patriciis *solis* nobilitas contigisset.

pravoque: non idem est, quod depravato; significat potius naturae vitium.

ab adolescentia. Quum h. l. adolescentia juventuti opponatur, haec seriorem, illa teneram aetatem significat; ut sensus sit: simulac togam virilem sumserat, gaudere coepit bellis intestinis etc. ibique (atque in his) maturiorem quoque aetatem (juventutem) exercuit. Non autem satis finita erant adolescentiae juventutisque tempora, quamvis Ausonius Popma (de differentiis verborum) docet, Varronem haec ita distinxisse, ut adolescentiam tribueret iis, qui trigesimum, juventutem, qui XL. aetatis annum nondum excesserint. Sed neque per se verisimilis est illa significationum distinctio, neque prisco loquendi usui convenit. Nam Iulius Caesar infra eo tempore, quo pontificatum sibi ambiret, adolescentulus fuisse dicitur, quum ad minimum tamen XXXVI. annos natus esset. Quid? quod Cicero, quum jam Consulatu fungeretur, II Philipp. C. 46 diceret: „defendi remp. *adolescens.*"

ibique. Quod alias locum, hic significat rem. cfr. supra: ibique (in republica) multa mihi advorsa fuere.

exercuit. Corpus. Nonnulli amisso puncto ita jungunt voces: *exercuit corpus;* quod quam parum congruat anteced. facile videbunt lectores.

inediae. Hinc Cic. in Orat. III. in Catilinam: Nihil erat, inquit, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, sitim, famem ferre poterat.

subdolus occulte fraudulentus. Unde Cic. in oratione pro M. Coelio eum depingit Catilinam, cujus facinora oculis prius, quam opinione, manibus ante quam suspicione deprehendere potuerit. Cfr. omnis haec oratio, nec non prima et tertia in Catilinam. In orat. pro Coelio haec inter alia dicit: „neque ego un-

rius, cujus rei libet ſimulator ac disſimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus: ſatis loquentiae, ſapientiae parum. Vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat. Hunc poſt dominationem Lucii Sullae lubido maxuma invaſerat reipublicae

quam fuiſſe tale monſtrum in terris ullum puto, ex tam contrariis diverſisque, inter ſe pugnantibus, naturae ſtudiis cupiditatibusque conflatum.

ſimulator etc. ſimulamus ea eſſe, quae non ſunt; disſimulamus ea non eſſe, quae ſunt.

alieni appetens — ſui profuſus. Simillima huic loco ſunt, non ſenſu, ſed ſtructura, Taciti verba Hiſtor. I. C. 49, quae Dahl. citat. Servius Galba pecuniae alienae non appetens, ſuae parcus, publicae avarus.

ardens in cupiditatibus. Alias verbo ardere Ablativus ſine praepoſitione jungitur.

loquentiae: habitus in loquendo ſine ſapientia. — Ita legendum eſſe, non ut in plerisque codd. *eloquentiae*, confirmat A. Gellius (Noct. Att. 1. 15), qui *Valerium Probum* (Grammaticum illuſtrem) dixiſſe refert, a Salluſtio ſcriptam vocem *loquentiae* ſuis demum temporibus corruptam eſſe. Quod mihi quidem duplici de cauſa probabile eſt. Nam nec *eloquentia* recte *opponi* poſſe videtur *ſapientiae*, nec ignota fuit Veteribus illa vocabulorum differentia. Vid. Plin. Epiſt. V. 20, ubi dicit: Iulius Candidus non invenuſte ſolet dicere, aliud eſſe *eloquentiam*, aliud *loquentiam*. Nam eloquentia vix uni aut alteri, immo, ſi Marco Antonio credimus, nemini; haec vero, quam Candidus loquentiam appellat, multis atque etiam imprudentiſſimo cuique maxime contingit.

Vaſtus animus, qui non facile expletur.

poſt dominationem — non idem eſt h. l. quod: finita dominatione, ſed noſtrum: *ſeit* der Herrſchaft — inde ab eo tempore, quo dominari coeperat. Eſt autem *dominatio* — *imperium injuſtum*. Nam Auguſtus, Suetonio teſte C. 53, *domini* appellationem, ut *maledictum et opprobrium* ſemper exhorruit.

Lucii Sullae. Sulla ſ. Sylla erat gentis Corneliae cognomen. Quem hic nominat Criſpus, L. Corn. Sulla, (cui *Felicis* poſtea cognomen additum eſt) A. V. circiter 616 natus, iisdem, quibus Catilina, vitiis

capiundae; neque id quibus modis adsequeretur,

atque virtutibus insignis, primum fuit in bello Iugurthino A. V. 646. Marii Quaestor, ubi magna edidit fortitudinis documenta, et Iugurtham a Boccho proditum cepit. Postea legati munere in bello Cimbrico functus, et praeturam nactus A. V. 660, antequam fuisset Aedilis, pro Praetore A. V. 661. in Asiam profectus est. Marsico deinde bello strenui ducis laudem sibi comparavit, et, quum Romam reversus, Consul creatus esset A. V. 665, Marium de imperio contra Mithridatem suscepto depellere, idque sibi adrogare tentavit. Hinc orta est gravis illa inimicitia, vehementissimumque inter eos certamen. Marius victus proscriptusque cum filio atque amicis Minturnas confugit, ubi casu quodam, satis noto, et civium misericordia servatus est. Postea in Carthaginis ruinas se abdidit, atque humanarum rerum fragilitatem tristi exemplo spectandam exhibuit. Sulla interim, Mithridate duobus proeliis victo, in Asiam profectus, apud Dardanum, Troadis urbem, pacem cum rege faciebat A. V. 667. Et quum aliquanto post audivisset, Marium Cinnae Cons. perfidi ope adjutum, Roma potitum esse, ibique crudelia multa non tam ipsum fecisse, quam permisisse militibus: in praesentia tamen nihil faciendum ratus, in officio imperatoris remansit. Litteras autem minaces Romam ad Senatum misit, et verborum fulminibus terruit inimicos. Ubi quum Marius anno aetatis septuagesimo vita defunctus. (A. V. C. eodem) Cinna biennio post a militibus esset occisus, Sulla exercitum victorem in Italiam reduxit, agmina illic in aciem educta vicit (670), et, nemine amplius repugnante, in urbem ingressus (671) terribilem edidit sontium insontiumque cladem. Nam statim post adventum sex millia captivorum in Circo maximo necari jussit; multos civium proscripsit, bina cuivis talenta pollicitus, qui amputatum sibi caput adferret; proscriptorum bona militibus adsignavit; denique tam crudeliter se gessit, ut Furfidius quidam moneret: „*vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperaret.* Nam ea tempestate plus quam septuaginta hominum millia interiisse dicuntur. Saevus ille tyrannus, cui comitem se adjunxerat Catilina, Dictatorem postea se ipse renuntiavit, et tribus post annis, sanguine tyrannideque satiatus, magistratu deposito ultima vitae tempora in Puteolano transegit, ubi A. V. 675. morbo turpissimo

dum ſibi regnum pararet, quidquam penſi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris, et conſcientia ſcelerum: quae utraque his artibus auxerat, quas ſupra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos peſſuma ac diverſa inter ſe

deceſſit. — Vitam ejus ſcripſit Plutarchus, quocum conf. Vellej. Paterc. II. 18 — 28. Appian. de bello civili Lib. I. 55 — 106. et Dio Caſſ. Exc. Valeſii Nr. 136. 137. S. Aurel. Victor de viris R. illuſtr. Cap. 79.

dum i. q. dummodo. Sic ap. Terent. And. IV. 1. 52. dum tibi proſim. Cicer. Brut. 82.

penſi habere — i. e. perpendere, conſiderare; conſideratione dignum ducere. Sic *infeſtum, ſollicitum, cenſum, judicatum* habere pro: infeſtare, ſollicitare etc. Sed Nominativus *penſum*, eo ſenſu, quo hic accipitur, non eſt uſitatus.

conſcientia ſcelerum: Rapinarum, caedis, ſtupri cum Virgine Veſtali commiſſi, aliorum. Poena ſe liberatum iri ſperabat, ſi rempublicam adtingeret.

his artibus. Ita ſaepiſſime *hic* pro *ille*. Non ſemper igitur alterum illud pronomen res propiores, alterum remotiores indicat. De *artibus* paulo ante dictum eſt.

quos peſſuma. Cortius pronomen *quos* ad *civitatem* refert, et hanc vocem *collectivam* pro *cives* poſitam intelligit, ea forſan de cauſa, quod verbum ſequens *vexabant* facilius ad cives, quam ad mores referri poteſt. Sic Iug. Cap. XIV. „*Familia* noſtra cum p. R. amicitiam inſtituit — — *quorum* progeniem nolite pati fruſtra auxilium petere. Cortius addit, hanc figuram *Syntheſin*, ſive *Syneſin* a Grammaticis adpellari. Sed equidem nollem Salluſtium tantae negligentiae accuſare, ut, cum antecedat Acc. *mores*, Relativum *quos* ad cives relatum eſſe contendam. Itaque Bipontinis adſentior, qui docte obſervarunt: *vexari* et *trahi* non homines tantum, ſed etiam *res, vitam, fortunam, pudorem.* Cfr. infra Cap. XX „*pecuniam* omnibus modis *trahunt, vexant.* Vertendum igitur: welche (Sitten) oder welchen (Staat) die verderblichſten und verſchiedenartigſten Laſter — Ueppigkeit und Habſucht — zerrütteten.

mala, luxuria atque avaritia vexabant. Res ipſa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, ſupra repetere, ac paucis inſtituta majorum domi militiaeque, quomodo Rempublicam habuerint, quantamque reliquerint: ut paullatim immutata, ex pulcherruma peſſuma ac flagitioſiſſuma facta ſit, disſerere.

mala etc. cfr. Livius in prooem. 12. „Nuper divitiae avaritiam, et abundantes voluptates deſideria, per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia, invexere.

vexabant variis modis perturbabant.

tempus praeſens reipubl. ſtatus, pro quo *tempora* ſaepe dixit Cicero.

ſupra repetere idem eſt Noſtro hic et in Iugurtha, quod aliis: *altius* repetere. „Dum priſca illa tota mente repeto.“ Liv.

inſtituta: vivendi agendique rationem. Hanc de *inſtitutis* majorum disſertationem ſupra in exordio Capp. II—IX. pro merito laudavimus. Nam quo facilius lectores intelligerent, tam ſceleſtum hominem in civitate exſiſtere omnino, et, quod pejus eſt, tot conjurationis ſocios, non ex infima tantum plebe, ſed ex omni civium ordine, ſibi adjungere potuiſſe, neceſſario praemittenda erat. Quare qui eam vituperarunt, parum attendiſſe videntur ad prima Cap. XV. verba, ubi: in tanta, inquit, tamque corrupta civitate Catilina — — omnium flagitiorum atque facinorum — — circum ſe catervas habebat. — Depingit igitur priſcorum hominum frugalitatem, pietatem, virtutem, quibus, tamquam verae magnitudinis fundamentis, nixa resp. mirum in modum creverit, quibusque ſublatis, mutato paullatim civium ingenio, peſſima ac flagitioſiſſima facta ſit.

habuerint — adminiſtraverint. *ex pulcherr. et optuma.* Cur poſterius adjectivum, quod antiquiorum editorum auctoritatem prae ſe fert, rejecerit Tellerus, equidem non video, quamvis ſalvo ſenſu poſſet abeſſe. Sed poterat eodem jure abeſſe *flagitioſiſſuma*, cum jam dixerit *peſſuma*. Concedo tamen, ſi antiquiſſima edita non habent: *et optuma*.

CAPVT VI.

Vrbem Romam, ſicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui, Aenea duce, profugi, ſedibus incertis vagabantur: cumque his Aborigines genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum. Hi poſtquam in una moenia convenere, dispari genere, disſimili lingua, alius alio more viventes: incredibile memoratu eſt, quam facile coaluerint. Sed poſtquam res eorum civibus, moribus,

Cap. VI. *Sicuti ego accepi.* Incertam eſſe et expeditu difficillimam omnem Aeneae hiſtoriam, nemo ignorat. Discrepat autem Salluſtii narratio ab eorum relatione, qui Romulum condidiſſe urbem, a ſuo nomine dictam, tradidere. Conf. Livius I. 5—7. Iuſtinus Lib. XLIII. Dionyſius Halicarnaſſeus, Romam ab eorum, qui Aenean ſecuti fuerint, progenie conditam eſſe narrat. Hos autem Aboriginibus conſociatos, adſumto Latinorum nomine, Lavinium primo, deinde Albam, tum denique Romam, duce Romulo, qui fuerit ab Aenea decimus ſeptimus, condidiſſe. Apud eundem I. 73. legimus diverſam illam a pervulgata narrationem *Cephalonis*, Scriptoris Aſiatici, cui Gergithos patria fuerit. Hic enim in ſecunda poſt bellum Troianum aetate (γενεᾷ) h. e. ſexageſimo fere anno poſt Aeneae adventum, ab ejusdem comitibus, Romo, A. filio, duce, urbem conditam retulit. Eum noſter ſequi videtur.

Aborigines. Sic appellantur, qui ab origine terram incoluerunt.

Dispari genere etc. *incredibile* etc. quia quo major eſt linguae morumque disſimilitudo, eo difficilior eſſe ſolet hominum conjunctio.

alius alio more viventes. Rectius quam *alii.* Nam illud *ſingulos,* hoc *plures* denotat et ſaepius ita loquitur Noſter.

res et potentiam ipſam et quae augent potentiam ſignificat.

moribus bellica virtute, pudicitia, continentia, ſrugalitate. Ennius: „moribus antiquis res ſtat Romana virisque."

agris aucta, ſatis proſpera ſatisque pollens videbatur; ſicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta eſt. Igitur reges populique finitumi bello tentare: pauci ex amicis auxilio eſſe. nam ceteri metu percuſſi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti feſtinare, parare, alius alium hortari, hoſtibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere. poſt, ubi pericula virtute propulerant, ſociis atque amicis auxilia portabant: magisque dandis, quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperii regium habebant: Delecti, quibus

ſicuti — habentur ut plerumque fit in rebus humanis. Non admodum frequens eſt hic loquendi modus.

Igitur — Neque tamen ſolam invidiam bellorum cum finitimis cauſam fuiſſe opineris. Ipſi enim Romani injurias ſaepiſſime intulerunt propinquis.

finitimi ut Fidenates, Latini, Etruſci, Sabini.

tentare — eſſe. Infinitivus centies a Noſtro aliisque in narrationibus uſurpatur. Alii ſupplendum eſſe putant *coeperunt*, alii adferunt alias cauſas, quas vide apud Scheller. in Praeceptis ſtili p. 336.

percuſſi retinendam duxi hanc lectionem, probante *Tellero*, qui pluribus exemplis demonſtravit, *percutere* non minus quam *percellere* vehementiorem animi motum ſignificare, quamvis poſterius ſaepius occurrat. Conf. Cicero ad Div. IX, 25. Virg. Georg. IV, 35.

auxilia portabant minus uſitata eſt haec loquendi ratio; plerumque auxilium ferre dicunt optimae notae ſcriptores.

magisque dandis — Similem Thucydidis locum, (II. 40.) quem imitatus eſſe videri poſſet Salluſtius, citatum legimus ab Aldo in *Dahlii* Comment. Οὐ πασχοντες εὐ, ἀλλα δρωντες, κτωμεθα τους φιλους. Non accipiendis ſed praeſtandis beneficiis amicos nobis conciliamus.

nomen habebant i. e. qui imperabant, reges appellabantur.

corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum, Reipublicae conſultabant. hi vel aetate, vel curae ſimilitudine PATRES appellabantur. Poſt, ubi regium imperium, quod initio conſervandae libertatis, atque augendae reipublicae fuerat, in ſuperbiam dominationemque convertit; immutato more, annua imperia, binosque imperatores ſibi fecere. eo modo minume poſſe putabant per licentiam inſoleſcere animum humanum.

CAPVT VII.

Sed ea tempeſtate coepere ſe quisque extol-

conſultabant, unde Conſules dicti, quorum conſilio in administrando munere uterentur reges. Conf. Livius I. 8. Florus I. 1. Iuſtinus XLIII. 3.

vel aetate, vel c. ſim. vel quia ſenes erant vel quia patrum inſtar civium ſalutem curabant.

conſervandae libertatis ſcil. gratia inſtitutum, quae ellipſis duriuscula eſt. Similes tamen Livii, Tacitique locos ſuppeditant Interpretes. Liv. V, 3. Tac. II, 17.

dominationem. Admixta eſt huic vocabulo odioſa tyrannidis injuſtae notio.

convertit i. q. ſe convertit.

immutato more i. e. mutata imperii formula. Regibus autem paruerant Romani per ducentos quadraginta quatuor annos.

imperatores i. q. conſules. — Legitimam illam, qua poteſtas conſularis definita eſt, formulam citavit Tullius (de Leg. III. 4.) „Reges imperio duo ſunto iique praeeundo, judicando, conſulendo, praetores, judices, conſules appellantor: militiae ſummum jus habento: nemini parento: ollis ſalus populi ſuprema lex eſto." conf. Eutropius I. 8. Flor. I. 9.

eo modo, duobus nempe, ultra annum, imperantibus.

CAP. VII. *Sed* — Cortius obſervat, conjunctionem hanc non eſſe hoc loco adverſati-

lere, magisque ingenium in promtu habere. Nam regibus boni quam mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt. Sed civitas, incredibile memoratu eſt, adepta libertate, quantum brevi creverit, tanta cupido gloriae inceſſerat. Iam primum juventus ſimul laboris ac belli patiens erat, in caſtris per uſum militiam diſcebat: magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in ſcortis atque convi-

vam, ſed inceptivam. Minime. Nam recte intellecta et ipſis Cortii verbis explicata enunciatio eſt vere adverſativa. Quippe opponitur propoſitioni ex anteced. ſupplendae. Sub regum imperio non audebant ſeſe extollere: ſed hac tempeſtate, poſtquam libertas populo reſtituta, coepere etc.

ingenium in promtu habere, animi indolem bonam, quam exſerere ſub imperio regum nondum auſi erant, non amplius celare.

regibus — ſunt. Tanta erat regum apud Romanos in libertate viventes invidia, ut quae ſingulorum regum vitia eſſent, eadem omnibus propria eſſe autumarent, quod valde conſentit cum Gallorum de regibus judicio.

adepta. Paſſiva h. l. eſt hujus Participii ſignificatio, quam ſaepe Noſter Deponentibus ſubjicit. Plura vide apud Cortium exempla v. c. Iugurth. C. 1. dum prope jam adeptam victoriam retinere cupit. Sic Plautus Trin. A. II. Sc. II. 88. Non aetate, verum ingenio adipiſcitur ſcientia, et Horat. „bella matribus deteſtata.“

ſ. belli patiens erat ſimulac per corporis vires licebat res bellicas aggredi.

per uſu. i. e. uſum. Sumta nempe virili toga i. e. inde ab anno aetatis decimo ſeptimo, cum ducibus belli peritis in caſtra proficiſci et in campo Martio variis certaminibus corpus exercere legendisque Graecorum et Romanorum de Re militari libris ingenium excolere ſolebant.

et militaribus equis. Hosce equos ad uſum militarem comparatos diſtinguit ab iis, quos infra Cap. IX. *voluptatis cauſa* Catilinae ſociis emtos eſſe narrat. Haec verba Typographi

viis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper, aut arduus erat: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: sese quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant: laudis avidi, pecuniae liberales erant: gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis, natura munitas, pugnando ceperit; ni ea res longius ab incepto traheret.

CAPVT VIII.

Sed profecto fortuna in omni re dominatur:

errore omisit Codex Tellerianus.

labos. Hoc semper scripsisse Sallustium, nunquam *labor*, Servius ad Virg. Aen. I. 252. adnotavit.

sese. Iure suspectum est *Dahlio* hocce Pronomen, propterea quod in quibusdam Codicibus legitur *sic se*, in aliis nihil horum invenitur.

eas divitias — pro: ea s. talia facinora fecisse divitias putabant.

quas urbis, natura munitas, pugnando ceperit. Haec verba, typographi vitio, desunt in codice Telleriano. — Ceterum urbes natura, h. e. situ, montibus, fluviis etc. munitae opponuntur iis, quae opere munitae sunt. Et illas quidem captu difficiliores esse existimat Noster.

Cap. VIII. *Sed profecto* etc. Rerum gestarum famam atque gloriam a scriptorum cujusque gentis ingeniis interdum magis, quam ab ipsa factorum magnitudine, pendere, tradit Sallustius. Eatenus igi-

ea res cunctas ex lubidine magis, quam ex vero celebrat obſcuratque. Athenienſium res geſtae, ſicuti ego aeſtumo, ſatis amplae magnificaeque fuere; verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi ſcriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia

tur gloriam populorum ex parte etiam fortunae tribuendam eſſe. Sic reſpondet iis, qui poſſent quaerere, cur tanta majorum virtus meritis laudibus non ſit celebrata. Conf. Iug. 99. humanarum rerum fortuna pleraque regit.

aliquanto minores. Quod ne Thucydides quidem negare audet I. 11. 12. conf. Iuven. Satyr. X. 174. „quidquid Graecia mendax audet in hiſtoria.

Scriptorum magna ingenia pro Scriptores magni ingenii. Quales fuere Herodotus, Thucydides, Xenophon. Sic Aurel. Victor in Ep. 13. ſummorum ſcriptorum miranda ingenia.

Ita eorum — Veriſſime dictum. Sed Romanorum etiam nimis celebrata ſunt facta a Scriptoribus partium ſtudio deditis.

ea copia ſc. ſcriptorum. Nam ante *Q. Fabium Pictorem,* qui fuit aequalis temporibus belli Punici ſecundi (A. V. 535.) nemo hiſtoriam Romanam ſcribere aggreſſus eſt. Itaque Regum et primorum poſt reges Conſulum res geſtae juſtis laudibus ſunt condecoratae. Illum autem Livius et Dionyſius Halicarn. primum nominant. (Eutropius III. 2.) Memorantur quidem, inquit Cortius, *M. Livius Andronicus* et *Naevius*, paullo majores, ſed poëtae, qui fabulas ad populum dedere, anno p. V. C. circiter 510 et 519. Ennius vero, famigeratiſſimus inter veteres, junior eſt Fabio." Nec defuere alia hiſtoriae monumenta, v. c. *Album* pont. maxim., ſeu Annales, quos vocant, quorum vero maxima pars incendio (356) conſumta eſt. Animadvertant autem tirones, vocem *nunquam* non

fuit: quia prudentissumus quisque negotiosus maxume erat: ingenium nemo sine corpore exercebat: optumus quisque facere, quam dicere; sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.

CAPVT IX.

Igitur domi militiaeque boni mores colebantur. concordia maxuma, minuma avaritia erat: jus bonumque apud eos non legibus magis, quam

esse urgendam, sed ad certum illud temporis spatium referri.

quia prudentissimus quisque negotiosus maxime erat i. e. quoniam ii, qui prudentia et ingenio reliquis praestabant, ideoque res gestas optime scribere potuissent, negotia publica summo studio tractabant.

ingen. nemo s. c. exercebat. — Nam ingeniosissimus quisque stipendia faciebat, et militiae labores tolerabat.

Cap. IX. *Igitur.* Particula haec connectit sequ. cum antecedentibus, et referenda est ad finem Capitis IV.

Ius bonumque etc. valebat. Similia de Germanorum majoribus praedicat Tacitus, qui C. 19: plus, inquit, ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges; et alio loco: „nemo illic vitia ridet, nec *corrumpere* et *corrumpi* seculum vocatur. Conf. locus ap. Iustinum, de moribus Scytharum explanantem, Lib. II. C. 2. pulcherrimus: „Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus. — — Prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina, praeceptisque philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultae barbariae collatione superari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis.“ Elegantissime similem sententiam Virgil. Aen. VII. 203. hisce verbis expressit:

„Latinos, Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte sua veterisque Dei se more tenentem.“

natura valebat. Iurgia, discordias, ſimultates cum hoſtibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. in ſuppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate ſeque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod ſaepius vindicatum eſt in eos, qui

Iurgia, discordias, ſimultates. Iurgium eſſe videtur eorum, qui de *jure* inter ſe contendunt, ut eſt apud Terentium: „cum Davo egomet vidi *jurgantem* ancillam." Ex inimicitiis *jurgia* exſiſtere dicit Cicero, quoniam inimici de jure quam ſaepiſſime contendere ſolent. *Discordia* eſt mutua *voluntatis alienatio*, quae quidem facit, ut *ſimultas* nonnunquam exſiſtat, h. e. ut ſimulata loquantur discordes. Sed propria illa *jurgii* ſignificatio hic locum non obtinet, cum de hoſtibus inter ſe pugnantibus ſermo ſit. Vertendum videtur: *Streitſucht*, *Zwieſpalt* und *heimlichen Groll* etc.

„*in amicis.*" Elegantius, inquit Tellerus, quam „*in amicos*" et de confuetudine Salluſtii: „Sed equidem non video hanc elegantiam. Nam quod rarius et a vulgari uſu remotius eſt, non ſemper ideo videtur pro elegantiori habendum. Sed raritatis et elegantiae notiones ſaepe inter ſe confunduntur. Suadeo lectoribus, ut cum omni hoc loco conferant, quae Tacitus Cap. 14. de Germ. bellica indole ſcripſit. „Cum ventum eſt, inquit, in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare."

D. h. artibus. Durch dieſe beiden Mittel.

in bello. Oppoſ. ſequ. „ubi pax evenerat," quae verba pacem bello partam — quaſi fructum laboris — ſignificant.

quod ſaepius vindicatum eſt etc. Reponenda hic eſſe verba: *in bello,* quae contra plurimorum codd. auctoritatem a Cortio rejecta ſunt, cum *Dahlio* Cl. ſtatuimus.

Iſtiusmodi ſeveritatis exemplum infra legimus a Catone commemoratum in Orat. Cap. 52. „Apud majores noſtros T. Ml. Torquatus bello Gallico filium ſuum, quod is contra imperium in hoſtem pugnaverat, necari juſſit. Atque ille egregius adoleſcens immodera-

contra imperium in hoſtem pugnaverant, quique tardius, revocati, bello exceſſerant, quam qui ſigna relinquere, aut pulſi, loco cedere auſi erant. In pace vero quod beneficiis, quam metu imperium agitabant, et, accepta injuria, ignoſcere, quam perſequi malebant.

CAPVT X.

Sed ubi labore atque juſtitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi ſubacti, Carthago, aemula imperii Romani ab ſtirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant: ſaevire Fortuna ac miſcere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque aſperas res facile toleraverant, iis otium,

tae fortitudinis morte poenas dedit." — Sic Q. Fab. Maximus ſimilem ob cauſam capite damnatus vix militum precibus veniam impetravit. Conf. Liv. VIII. 30. Eutrop. II. 4.

bello exceſſerant. Vocem *bello*, e MSS. quibusdam a Cortio depromtam, notat Dahlius, et pro ea vult reſtitui *proelio*, quod et mihi quidem aptius videtur.

Signa relinquere etc. „Scutum, inquit Tacitus, reliquiſſe praecipuum flagitium. Cedere loco, dummodo rurſum inſtes, conſilii quam fortitudinis arbitrantur."

beneficiis quam metu. Dura videtur omiſſio *τοῦ magis;* non tamen abhorret a Noſtri et aliorum conſuetudiue. Conf. locum citatum, ubi Tacitus eodem fere modo ſcripſit. Sed recte doct. D. obſervat, non deſiderari particulam *magis*, ubi verbum *malle* ſequatur, ac propterea, etſi deſit in ſequentibus, hoc tamen loco temere a Cortio atque Tellero eſſe rejectam.

Cap. X. *Carthago — interiit.* Si juſtitiam ſemper coluiſſent Romani, Carthaginem funditus deletam eſſe dubito.

divitiae, optandae aliis, oneri miſeriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit: ea quaſi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis bonas ſubvertit; pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, ſed ex commodo aeſtumare; magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Haec primo paullatim creſcere, interdum vindicari. poſt ubi, contagio quaſi, peſtilentia invaſit, civitas immutata, imperium ex juſtiſſumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

CAPVT XI.

Sed primo magis ambitio, quam avaritia,

optandae aliis prius referendum eſt ad utrumque antecedens, quamvis alterum ſit in numero ſingulari. Poſterius autem non valet in omnes homines, quia Cap. XI. divitias negat a ſapientibus optari; ut fere *alii* hic reſpondeat Graecorum οἱ πολλοι Tell.

Plerumque nominandi caſum neutrius uſurpare ſolent, ubi antecedunt plures vel ejusdem vel diverſi generis voces; conf. ſequ. *primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit. Ea — fuere.*

artis bonas id. e. quod virtutes animi; *ars* enim *habitum* in agendo vel bene vel male ſignificat.

aliud clauſum etc. Ita Herodianus II. 35. in Severo: δια τε γλωττης προιετο, ὁσα μη ἐφερεν ἐπι γνωμης.

animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus, ignavus aeque ſibi exoptant: ſed ille vera via nititur; huic quia bonae artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupivit. ea, quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: ſemper infinita, inſatiabilis, neque copia, neque inopia minuitur. Sed poſtquam L. Sulla, armis recepta

Cap. XI. *bonus ignavus aeque.* Ex hoc loco patet, Noſtrum divitias ſapientibus ſ. bonis non exoptandas eſſe autumare; quod alibi diſerte dixit. Quatenus vera ſint, quae hic de ambitionis atque virtutis propinquitate dicuntur etc. judicent ipſi lectores.

nititur i. e. pervenire ſtudet.

vera via i. e. ea, quae decet virum bonum, rectiſſimeque ducit ad finem optatum. cfr. Ter. Heautont. I. 1. 102. ubi non *vere* vivere pater et filius dicuntur, qui ſe invicem non norint. — et Adelph. V. 9. 30.

bonae artes ſi referres has voces ad anteced. *vera via*, haberes noſtrum: gute Mittel; ſin ad ea, quae ſequ. *dolis atque fallaciis*, id. eſſet quod *virtutes:* gute Eigenſchaften ſ. Fertigkeiten der Seele.

neque copia neque inopia. Offendit poſterior vox interpret. complures, in his Tellerum, qui mirandum non eſſe dicit, pecuniae inopia non minui aviditatem. Itaque copiam h. l. idem eſſe quod *adquirendae pecuniae occaſionem* ſ. poteſtatem; inopiam vero de deficientibus ejusmodi occaſionibus intelligendum eſſe. Huic autem explicationi et loquendi uſus, a quo aliena eſt iſta vocis *inopia* ſignificatio, et ſenſus obſtant. Quomodo enim avaritiam minui poſſe credimus oblatis adquirendae pecuniae occaſionibus? Satis autem probabilis eſt ſenſus vulgaris. — —

L. Sulla. Eſt locus apud Florum in epit. Liv. L. LXXXVIII. qui ſervit explicandis Noſtri verbis: *Recuperata republica* (ſc. Mario, Cinnae, Carbonique erepta) *pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine unquam fuit, inquinavit; octo mil-*

Republica, bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere: neque modum, neque modeſtiam victores habere, foeda crudeliaque in civibus facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Aſiam ductaverat, quo ſibi fidum faceret, contra morem majorum, luxurioſe nimisque liberaliter habuerat. loca amoena, voluptaria facile in otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum inſuevit exercitus populi Romani amare, potare; ſigna, tabulas pictas, vaſa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere; delubra ſpoliare; ſacra profanaque

lia deditorum in villa publica trucidavit; tabulam proſcriptionis poſuit; inter quas omnes Praeneſtinos inermes concidi juſſit; Marium, ſenatorii ordinis virum, cruribus, brachiis fractis, auribus praeſectis, et effoſſis oculis necavit.

bonis initiis. Cortius et eum eo Tellerus hunc eſſe dandi caſum dicunt.

malos eventus habuit; longe hic a vulgari loquendi uſu recedit Salluſtius. Nam cum *eventus* et *eventa* fortunae ſint, non hominum, haud equidem video, quo jure crudeliſſima Sullae facta poſſint eventus appellari, quos ipſe Sulla habuerit. Facile vero expedietur, et cum loquendi uſu conciliaretur locus, ſi legere velles: *Lucii Sullae,* et paulo poſt *respublica,* ita ut deleto commate voces hoc modo cohaererent: *poſtquam L. Sullae armis resp. bonis initiis malos eventus habuit.*

n. modum, n. modeſtiam. Duplici ſenſu accipi poſſunt haec verba, prout *modeſtia* vel *ſuperbiae atque inſolentiae* vel *adfectuum intemperantiae* opponitur. Sie mäſsigten ſich nicht im Rauben und Morden, und zeigten in ihrem Betragen gegen Andere keine Beſcheidenheit; oder: ſie beſchränkten weder ihre Begierden, (neque modeſtiam) noch hielten ſie Maſs in ihrer Befriedigung.

omnia polluere. Igitur hi milites, poſtquam victoriam adepti ſunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe ſecundae res ſapientium animos fatigant: ne illi corruptis moribus victoriae temperarent.

CAPVT XII.

Poſtquam divitiae honori eſſe coepere, et eas gloria, imperium, potentia ſequebatur: hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci coepit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia, cum ſuperbia invaſere: rapere, conſumere; ſua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam,

n. reliqui fecere pr. nihil reliquere, omnia eripuere.

ſecundae r. ſap. animos fatigant: id eſt, debilitant, faciuntque, ut libidinibus reſiſtere amplius nequeant, Sie lähmen die Seelenſtärke; ut eſt ap. Horat. *ſomno fatigatus;* cfr. III. 2. 17. ubi dicit: niſi naturam plerumque fortuna corrumperet.

ne — temperarent. Ne h. l. eſt noſtrum: wie viel weniger; geſchweige denn daſs. Si verum eſt, ſapientum animos rebus ſecundis fatigari (h. e. corrumpi): num putatis, illos corruptis moribus victoriae temperaſſe?

Cap. XII. *hebeſcere virtus,* qua ſola olim veram gloriam adipiſci ſe poſſe arbitrabantur. Cfr. Cap. III. ubi dixit: *eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant.*

Innocentia pro malivolentia duci coepit. H. e. quos innocentes et integros eſſe videbant mali cives, eos ſibi non bene velle exiſtimabant.

pudorem, pudicitiam. Utraque virtute praeditus eſt, quem pudet ea vel facere vel feciſſe, quae ab honeſti praeceptis abhorrent. Hic autem ita diſtinguo, ut prius ſit noſtrum Wohlſtandsliebe, poſterius, Schamhaftigkeit, züchtiges Betragen im Umgange mit dem andern Geſchlechte.

divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. Operae pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri majores, religiosissumi mortales fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos sua gloria decorabant; neque victis quidquam praeter injuriae licentiam eripiebant. At hi contra ignavissumi homines, per summum scelus, omnia ea sociis adimere, quae fortissumi viri victores reliquerant: proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti.

CAPVT XIII.

Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt: a privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse.

divina atque humana idem fere significant, quod supra *sacra profanaque:* quae ad cultum Deorum et ad hominum officia pertinent.

nihil pensi — habere. Vid. sup. C. V. „neque id, quibus modis adsequeretur, quidquam pensi habuit.“

cum — cognoveris — visere ut comparare queas horum temporum luxuriam cum illius aetatis simplicitate.

domos atque villas eleganter opponit *templis deorum*, ut adpareat, Romanorum majores fuisse religiosiores sui aevi hominibus. Longus est hic et in pluribus locis, imo nimius, in antithesibus. Nam non solum *domos et villas* opposuit *templis deorum*, sed mox etiam: *delubra domibus*, *pietatem gloriae*, *victos sociis*, *ignavissimos fortissimis*.

Cap. XIII. *maria constructa.* Propter ea, quae proxime

quibus mihi videntur ludibrio fuiſſe divitiae; quippe, quas honeſte habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido ſtupri, ganeae ceterique cultus non minor inceſſerat: Viros pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere; Veſcendi cauſſa terra marique omnia exquirere; dormire prius, quam ſomni cupido eſſet; non famem, aut ſitim; neque frigus, neque laſſitudinem opperiri, ſed ea omnia luxu antecapere. Haec juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus haud facile lubi-

antecedunt, et quia Cap. XX. de maribus *exſtructis* loquitur Salluſtius, retinenda videtur mihi cum Tellero vox *conſtructa*, quamvis alii habeant *conſtrata*, alii *contracta*, quorum hoc nimis poëticum videri poſſit, non item illud. Nec deſunt omnino, praeſertim in initio h. libri, poëticae fictiones: e. g. cuncta maria terraeque patebant: ſaevire Fortuna ac miſcere omnia coepit.

Quod ad rem ipſam attinet vid. Val. Max. II. 33. Meminerint etiam lectores, Craſſum dicere ſolitum: divitem nominandum eſſe neminem, qui ſumptibus exercitum alere non poſſet.

abuti ſuppl. iis; nam hic eſt ordo verborum: quippe iis divitiis, quas honeſte habere licebat (i. e. poterant), abuti etc.

turpitudo eſt h. l. unmoraliſche, ſ. unerlaubte Anwendung zu Gunſten des Laſters.

ganeae. Ganea locus, in quo et cibi et meretrices venales erant. Hic autem, ut e nexu orationis patet, conviviorum ſplendidorum lubido intelligenda eſt.

propatulum eſt locus, ad quem cuique aditus patet; quare pudicitiam in propatulo habere idem eſt, quod: venalem habere pudicitiam.

ea omnia ſc. quae ad famem ſitimque pellendam pertinent.

familiares opes eigenes, in der Familie erbliches Vermögen.

dinibus carebat: eo profufius omnibus modis quaeftui atque fumtui deditus erat.

CAPVT XIV.

[*Summa Capitum XIV, XV et XVI.* Delineata civitatis imagine, quam fine horrore vix quisquam contuebitur, ad Catilinam redit auctor, ejusque juventutem, teterrimis illis hominum foediffimorum exemplis corruptam, antequam conjuraffet, multis flagitiis inquinatam fuiffe, oftendit. Praecipua vero, quae illi infert, crimina haec funt: 1) Catilina cum peffimo quoque familiariter vixit, et vitiis hominum perditorum, quo facilius fibi obtemperarent, fomenta praebuit; 2) ftuprum fecit cum virgine Veftali, et privignum fuum, qui displicebat Aureliae Oreftillae, mulieri turpiffimae, necavit, ut illam in matrimonium ducere poffet; 3) juvenes, quos fibi devinxerat, corruptelarum illecebris irretivit.]

In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id, quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum fe, tamquam ftipatorum, catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo; manu, ventre, pene

CAP. XIV. *In tanta tamque corr. c.* Depictis Romanorum moribus opibusque eodem jam redit oratio, quo fubftiterat verfus finem Cap. I. Tanta vero eft hujus loci gravitas, ut nihil ad aures animumque feriendum atque totum quafi percellendum efficacius cogitari poffe recte judicet Telterus.

flagitiorum atque facinorum al. flagitioforum atque facinoroforum, quod quamvis et ad hiftoricum genus fcribendi et ad vocem *ftipatorum* forfan accommodatius fit, tamen illud non abhorret a more Salluftii.

manu. Non fatis liquet, quodnam luxuriae genus intelligi debeat. Puto tamen

bona patria laceraverat; quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret; praeterea omnes undique parricidae, facrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua, perjurio aut fanguine civili alebat; poftremo omnes, quos flagitium, egeftas, confcius animus exagitabat: ii Catilinae proxumi familiaresque erant. Quod fi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat, quotidiano ufu atque illecebris facile par fimilisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adolefcentium familiaritates adpetebat: eorum animi molles et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam uti cujusque ftudium ex aetate flagrabat, aliis fcorta praebere; aliis canes atque equos merca-

eos hic notari, qui in alea rem familiarem perdiderant.

flagitium, eft h. l. vel facinus eorum, qui cum ingenua cive Romana ftuprum fecerant, quod erat turpiffimum, vel noftrum *Schande.* Duo fimul temporum vitia hic notantur, primum ipfa flagitia atque facinora, deinde redemtiones eorum.

manus atque lingua, illud ad fanguinem civilem, hoc ad perjurium pertinet. Conferatur cum his fimilibusque locis fecunda Ciceronis in Catilinam oratio, quae commentarii loco effe poteft Salluftii lectoribus. Praeter alia, quae huc faciunt, memorabilis eft hic locus: „Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis ficarius, quis parricida, quis teftamentorum fubjector, quis circumfcriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor juventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri poteft, qui fe cum Catilina non familiariffime vixiffe fateatur?"

inciderat, cafu venerat.

ri; poſtremo neque ſumtui, neque modeſtiae ſuae parcere, dum illos obnoxios fidosque faceret. Scio, fuiſſe nonnullos, qui ita aeſtumarent, juventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeſte pudicitiam habuiſſe; ſed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam compertum foret, haec fama valebat.

CAPVT XV.

Iam primum adoleſcens Catilina multa nefanda ſtupra fecerat, cum virgine nobili, cum ſacerdote Veſtae, alia hujuscemodi contra jus fasque.

poſtremo kurz.

modeſtiae — parcere, modum tenere.

Scio fuiſſe. Iuſtum et veritatis ſtudioſum fuiſſe Noſtrum, hic locus, quocum conferri poſſunt Cap. XV. XIX. XX. abunde probat contra Vopiſci in Aureliano calumnias.

parum honeſte — habuiſſe, Simile infra legitur: ordines *habere* p. *ſervare.*

Cap. XV. *nefanda.* Adeo turpia, ut ne fari quidem ea liceat. Cfr. Cic. Or. I. in Catilinam, ubi: „Quae libido, inquit, ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium in toto corpore abfuit?" Et alio loco: „quod nefarium ſtuprum non per illum?"

cum virgine nobili. Quaenam haec fuerit, non ſatis conſtat. Sunt qui putent, eam hic ſignificari, quae poſtea fuerit Catilinae ſocrus, quamque, parcentes generis nobilitati, nominare noluerint hiſtorici.

cum ſacerdote etc. Tirones moneo, has voces non eſſe adpoſitas, ut explicent antecedentia. Senſus eſt: non ſolum cum virgine nobili quadam, ſed etiam cum ſacerdote Veſt. aliisque ſtupra fecerat. Virgo haec Veſtalis erat Fabia, ſoror Terentiae, uxoris Ciceronis, quam tamen judices poena abſolverunt, cum eam a Catilina conſtupratam eſſe, cognoviſſent. De ſtupri poena, quam dedere Veſtales, vid. Plutarchus in vita Numae Pompilii.

contra jus fasque. i. e. contra humana divinaque jura;

postremo captus amore Aureliae Orestillae, cujus praeter formam, nihil umquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate; pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi inprimis videtur caussa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie vultuque vecordia inerat.

primum quod cum virgine nobili, deinde quod cum virgine Vestali stuprum fecerat.

privignum sc. Catilinae. cfr. Val. Max. lib. 9. c. I. „Catilinae libido scelesta: nam vesano amore Aureliae Orestillae correptus, cum unum impedimentum videret, quo minus nuptiis inter se jungerentur, filium suum, quem solum et jam aetate puberem habuit, veneno sustulit, protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit, ac novae maritae orbitatem suam loco muneris erogavit."

Huc facit locus Ciceronis: „Cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuam fecisses etc."

Sallustius vero hanc rem, quam Val. Max. pro certissima habuit, cum Cicerone addubitasse videtur, cum dicat: *pro certo creditur.*

facinoris. Facinus κατ' ἐξοχὴν adpellat conjurationem Catilinae, quam et aliorum malefactorum, et hujus inprimis flagitii conscientia commotus maturasse videtur.

vastabat. magis placet, quam aliorum codd. *vexabat.* Major vis est in illa voce, quae praeterea ad imaginem a Nostro pictam est accommodatissima. Nam, ni fallor, cum mari ventis exagitato comparare voluit Catilinae animum; qua dubito aptiorem inveniri comparationem.

in facie vultuque vel ita discerni hae voces possunt, ut *fa-*

CAPVT XVI.

Sed juventutem, quam, ut ſupra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis teſtes ſignatoresque falſos commodare; ſidem, fortunas, pericula vilia habere; poſt, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, majora alia imperabat: Si cauſſa peccandi in praeſens minus ſuppetebat, nihilo minus inſontes, ſicuti ſontes, circumvenire, jugulare. ſcilicet, ne per otium torpeſcerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis ſociisque confiſus Catilina, ſimul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod ple-

cies os (das Angeſicht) ſignificet; vel etiam ita, ut prius vocabulum omnem oris figuram, poſterius ſingula ejus lineamenta denotet.

CAP. XVI. *Sed:* conjungit haec orationis particula quae ſequuntur cum anteced. Cap. XIV.

ſupra Cap. XIV.

mala facinora etc. Hinc Cic. in Orat. prima: „Cui tu, inquit, adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non ad libidinem facem praetuliſti?"

ſignatores falſos qui vel teſtamentis falſis, vel aliis cauſis fictis ſigno impreſſo, vel nomine ſubſcripto, fidem faciebant.

commodare; non idem eſt quod *reddere.* Nam ineſt huic vocabulo commodi, ſive utilitatis notio.

habere; non ad Catilinam, ſed ad ipſos juvenes haec vox pertinet, ita ut ſupplendum ſit: edocuit.

attriverat, paulatim ſuſtulerat.

circumvenire. Obſcura et ambigua eſſent haec, cum et ad Catilinam ipſum, et ad juvenes ab eo doctos pertinere poſſint, niſi ex iis, quae ſubſequuntur, ſenſus palam fieret.

gratuito ſine cauſa atque emolumentis.

per omnis terras Romano imperio ſubditas.

rique Sullani milites, largius ſuo uſi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabant; opprimundae reipublicae conſilium cepit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompejus in extremis terris bellum gerebat: ipſi conſulatum petundi magna ſpes: Senatus nihil ſane intentus: tutae tranquillaeque res omnes; ſed ea prorſus opportuna Catilinae.

CAPVT XVII.

[Praeparatis ſingulorum hominum animis, Catilina familiariſſimos ſuos in unum convocat, cumque his contra remp. conjurat. Multi fuere in illo numero domi forisque nobiles, quorum conſilia Craſſo etiam cognita fuiſſe creditum eſt.]

Igitur circiter Kalendas Iunias L. Caeſare et C. Figulo Conſulibus primo ſingulos adpellare: hortari alios, alios tentare: opes ſuas, impara-

victoriae veteris quam de Marianis reportaverant.

Cap. XVII. *Kal. Iunias.* A. V. 689, ante Chriſtum 64.

L. Caeſare, cujus ſoror nupta erat Lentulo, infra nominato, quem ipſe poſtea damnavit. Cfr. Cic. Orat. IV. Cat. Cap. 6. Hunc Octavianus proſcripſit, quum idem antea feciſſet Antonius. L. cit. fortiſſimus vir et amantiſſimus reip. adpellatur.

C. Figulo. C. *Marcius* Figulus, antequam in Marciorum gentem adoptatus eſſet, Minucius Thermus nominatus eſt. Cfr. Cic. de leg. II. 25. ad Att. I. 2.

ſingulos ſeorſim ſcilicet ac privatim. Opponitur enim ſequentibus: *omnis in unum convocat.*

tentare; experiri, utrum conſiliorum facinorumque ſocii eſſe vellent, nec ne. Locum ad haec illuſtranda aptiſſimum e Cic. tertia Orat. Cat. Cap. 7. attulit Dahlius:

tam rempublicam, magna praemia conjurationis docere. Vbi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo, et plurimum audaciae. Eo convenere Senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Ser-

„omnia norat, omnium aditus tenebat: adpellare, tentare, sollicitare poterat, audebat."

P. Lentulus Sura, Quaesturam hic gessit, cum Sulla dominaretur. Qui cum publica quaedam munera perdite administrasset, Sullae irato, rationem rerum male gestarum exigenti, respondit: non esse suum rationem reddere, sed *praebere suram*, puerorum instar, qui in ludo pilae peccassent. Hinc Surae cognomine adpellatus est. Similis erat Catilinae dominandi cupiditate, non item belli industria, ingenio consilioque, quamvis corporis quaedam dignitas, et dicendi exercitatio non mediocris in eo esset. E patricia gentis Corneliae familia duxerat originem. Avum habebat P. Lentulum — Principem Senatus (qui amavit unice patriam et cives suos Cic. in Cat. III. 5.). Ipse fuit homo tantae levitatis, ut pecuniam publicam profundere non erubesceret, ideoque a Censoribus (Cn. Lent. Clodio et Luc. Gellio) A. 638, quum jam Consulatum gessisset, Senatu submoveretur. Postea tamen iterum receptus, Cicerone Consule, praetura functus est. Vid. Plut. Vit. Cic. Cap. XVII. Dio. Cass. L. XXXVIII. p. 43. ed. Hannov. De superbia ejus et vanissimo fastu cfr. infra Cap. XLVII. De interitu Cap. LV.

P. Autronius, Ciceronis in pueritia condiscipulus, in quaestura collega.

L. Cassius Longinus, qui, Cicerone teste, procurationem incendendae urbis sibi postulaverat; homo corpore pingui, adeo ut Cassii adeps in proverbium abierit.

C. Cethegus, qui urbe ejectus ad Sullam supplex confugit, et postea Sullanas partes secutus est. Temeritate et audacia Catilinam superabat, eique armorum studio, nobilitate, et corporis robore fere aequalis erat. Confr. Cic. Orat. III in Catil. Hic summam auctoritatem, qua olim pollebat, quum Pompejus bellicis negotiis districtus abesset, „furiosa temeritate" (Cic.) amiserat, ejusque recuperandae gratia societatem cum Catilina inibat. De supplicio Cethegi vid. infra Cap. LV.

P. et Serv. Sullae, *Servii fil.*

vius Sullae, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius: praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: ad-

i. e. P. Corn. Sulla, et Servius Corn. Sulla, filii Servii Corn. Sullae. Publius cap. seq. iterum nominatur. Hunc etiam conjurasse non satis certa sunt indicia. Nam quum A. V. 691. L. Torquatus minor utriusque conjurationis socium eum fuisse adfirmaret, Hortensius et Cicero defensionem ejus susceperunt et praestantissimis orationibus (quarum altera, Tulliana sc., adhuc superest) effecerunt, ut absolveretur. Prioris conjurationis socium ne Sallustius quidem eum vocat Cap. XVIII. XIX, et in iis, qui secundae participes fuerint, semel tantum nominatur. Fratris autem, Servii, nomen infra iterum Cap. XLVII. reperies.

L. Vargentejus, qui cum C. Cornelio equite constituerat, cum armatis hominibus ea nocte, quae secuta est pridie Non. Novembr., salutatum ire Ciceronem, eumque in suo lectulo confodere. Qua de re consul per Fulviam certior factus non admisit salutatores. Cfr. Cap. XXVIII et Cic. Orat. pro Sulla Cap. II.

Q. Annius — Senator.

M. Porcius Laeca al. Lecca, in cujus domo Catilina noctu convenit cum sociis.

L. Bestia, e gente Calpurnia, trib. pl. A. V. 670. Vid. Cap. XLIII.

Q. Curius: Quaestorius, aleator notissimus, qui, cum primis conjuratorum consilia detexisset, munera publice decreta non obtinuit, quia Caesarem inter socios Catilinae nominaverat; teste Suetonio in vit. Caes. Cap. XVII.

L. Statilius cfr. infra Cap. XLIII. XLIV. XLVI. Hic etiam capitis poenam dedit Cap. LV.

P. Gabinius Capito, quem Cic. (Orat. III. Cat. C. 3.) *Cimbrum* cognominat et omnium scelerum improbissimum machinatorem; v. C. LV, ubi supplicio necatus dicitur.

Praeter haec conjuratorum nomina, multi etiam alii sceleris socii passim occurrunt in veterum scriptis, e. g. Coeparius, Furio, Manlius Milo, Umbrenus. Muretus triginta novem eorum, qui vel convicti vel suspecti fuere, collegit in Comment. ad Cic. Or. Cat. I. 1.

hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paullo occultius conſilii hujusce participes nobiles, quos magis dominationis ſpes hortabatur, quam inopia, aut alia neceſſitudo. Ceterum juventus pleraque, ſed maxume nobilium, Catilinae inceptis ſavebat. quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempeſtate, qui crederent M. Licinium Craſſum non ignarum ejus conſilii fuiſſe; quia Cn. Pompejus inviſus ipſi magnum exercitum ductabat, cujus-

ex coloniis. Coloniarum incolae Roma profecti, vel e Latio discedentes, ducibus *Triumviris* ſive etiam *Quinqueviris coloniae deducendae* aliorſum demigraverant, et a Romanis jura legesque acceperant. — *Municipia,* quorum incolae civitate Romana donati erant, ſuis gaudebant propriis legibus, externis vero magiſtratibus non erant ſubjecti.

domi nobiles. Nobiles in iis municipiis coloniisque, in quibus habitabant.

complures Caeſar, Craſſus, Antonius.

participes nobiles. Poſterius adjectiv. in quibusdam Codd. atque MSS. omiſſum haud injuria ſuſpectum videtur Dahlio.

M. Licinius Craſſus homo immenſis divitiis opibusque clarus, qui jam Praeturam atque Conſulatum geſſerat, et aliquanto poſt (A. V. C. 693) cum Pompejo ac Caeſare ſocietatem iniit, bellumque (A. 700) adverſus Parthos geſſit, in quo occiſus eſt. Hujus viri meminit Cic. de Off. Lib. I. 8. et Noſter infra Cap. XLVIII. Vitam ejus ſcripſit Plutarchus, e cujus narratione infra quaedam excerpſimus.

Cn. Pompejus inviſus ipſi. Diſſidium inter eos ortum eſt A. V. 683, quum Conſulatum una gererent; et quamvis in gratiam poſtea rediiſſe videantur, ſemper tamen, etiam in triumviratu, Craſſus, quem alter longe ſuperabat gloria militari, invidebat Pompejo.

vis opes voluiſſe contra illius potentiam creſcere: ſimul confiſum, ſi conjuratio valuiſſet, facile apud illos principem ſe fore.

CAPVT XVIII.

[Neque tamen prima fuit haec conjuratio, ſed antea jam Catilina cum Autronio et Piſone de Conſulibus in Capitolio trucidandis deliberaverat; peſſimumque hoc facinus patratum foret, niſi dux ille factioſorum nimis feſtinanter ſignum ſociis dediſſet.]

Sed antea item conjuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina. de qua quam veriſſume potero dicam. L. Tullo, M. Lepido conſulibus, P. Autronius et P. Sulla legibus ambitus

Cap. XVIII. *antea* — triennio ante.

de qua ſc. conjuratione. Nam ſubſtantivum omiſſum latet in verbo *conjuravere*.

L. Tullo et M. Lep. Coſſ. A. V. 687, ante Chriſtum 66. Lucio Tullo erat *Volcatii* cognomen. M. Lepidus, e gente Aemilia, non eſt cum triumviro ejusd. nominis confundendus. Nonnulli ab eo in tribunatu plebis orationem illam in populi concione habitam autumant, cujus fragmenta ex quarto Hiſtoriarum libro Salluſtiano ſuperſunt.

P. Autronius et P. Sulla. Alii libri his nominibus addunt: *deſignati conſules.* Quorum loco, poſteaquam ipſi a competitoribus, L. Cotta et L. Torquato, ambitus accuſati erant, iidem illi accuſatores deſignati ſunt. — Attamen, ſi Ciceroni fides habenda eſt, P. Sulla, ſi Autronium, hominem multo pejorem, collegam non habuiſſet, meliori fuiſſet conditione. Hunc enim ita ſe geſſiſſe ſcribit — ut, „inimicus eſſe ampliſſimis ordinibus, infeſtus bonis omnibus, hoſtis patriae" viſus ſit. P. Sullam contra virum innocentem atque honeſtum fuiſſe adfirmat: „cui Autronii nomen finitimum maximo periculo et crimini fuerit. Or. pro Sulla C. 25.

legibus ambitus — quibus cautum erat, ne quis injuſta

interrogati poenas dederant. Poſt paullo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat conſulatum petere; quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piſo, adoleſcens nobilis, ſummae audaciae, egens, factioſus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores ſtimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius, conſilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ianuariis

ratione — (blanditiis, largitionibus, amicorum ſtudiis) ad honores eveheretur; quarum legum noviſſima tunc erat Calpurnia, A. 686 a Coſſ. Cajo Calpurnio Piſone et M. Acilio Glabrione lata.

interrogati. Plerumque, ubi idem fere eſt quod *accuſare*, adjicitur *lege* vel *legibus*, quod itidem Noſter adjecit. Attamen Tacitus abſolute dixit *interrogare*, quod quidem nihil aliud eſt, quam legis auctoritate aliquem apud Praetorem interrogare, numquid facinus aliquod admiſerit.

pec. repetundarum quas, cum in provincia eſſet, vel vi vel dolo malo abſtulerat. Accuſatus eſt a Clodio, cum ex Africa, ubi praeturam geſſerat, rediiſſet. Namque legati ex Africa miſſi, illo abſente, in Senatu queſti ſunt. Quare cum reus eſſet, non poterat conſulatum petere.

intra legitimos dies. Triginta dierum ſpatio ante comitia centuriata candidati, qui Conſulatum petebant, profiteri jubebantur.

profiteri h. e. nomen ſuum ante comitia inſcribi jubere; quod facere ſolebant conſulatus et reliquorum magiſtratuum candidati. Eſt autem *profiteri* proprie: publice fateri.

Cn. Piſo gentis Calpurniae. Ejusdem nominis plures alii paſſim occurrunt.

conſilio comm. Deſunt h. l. in codice Cort. atque Teller. verba: *circiter Nonas Decembres*, quae a legentibus inſerenda eſſe monet doct. Dahlius, cui et haec et plurima debeo.

in Capitolio. Nam Coſſ. ſacrorum faciendorum cauſa Cal. Ianuariis, primo mane, comitante magna populi turba, in ſplendidum Iovis Capitolini templum procedere ſolebant.

Kalendis Ianuariis quo die conſules magiſtratum inire ſo-

L. Cottam et L. Torquatum Consules interficere; ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita rursus, in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant. Iam tum non Consulibus modo, sed plerisque Senatoribus perniciem ma-

lebant. „Antiquis temporibus, sive ante primum bellum Punicum, Kalendis Martiis consulatum iniisse videntur, quod tamen non satis certum est: sed post A. V. 598. Kal. Ianuariae huic rei destinatae sunt. Vid. Nieupoort de rit. Rom. p. 106. ed. secundae. Ceterum mensium nomina ut adjectiva saepe adponi solent, et perinde est Kalendis *Ianuariis*, ac si dicas *Ianuarii*.

L. Cottam, Marc. Cottae filium natu minimum, qui praeturam A. 683. censuram A. 689 gesserat.

L. Torquatum — e gente Manlia, qui anno sequenti Proconsul Macedoniam administravit, posteaque, rogatu Ciceronis, honorificum imperatoris a Senatu obtinuit. In Bruto Cic. C. 68. Torquatus dicitur fuisse „elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus."

fascibus correptis, i. e. consulum insignibus per vim sibi vindicatis, ideoque consulari potestate. Non consentit cum Nostro Suetonius in Vit. Caes. C. 9. qui Publium Sullam et P. Autronium — non Catilinam petiisse Consulatum refert.

De priori hac conjuratione conferenda sunt etiam Ciceronis verba in Or. I. C. 6. qui Catilinae objicit, quod pridie Kal. Ian. Lepido et Tullo Coss. in comitio cum telo fecerit. E quo intelligitur, ultimo Decembris die conjuratos ad facinus ipsis Kalendis perpetrandum fuisse paratos.

duas Hispanias. Hispania divisa olim in tres provincias: Baeticam, Lusitaniam et Tarraconensem, in duas postea provincias distributa est: *citeriorem*, quae Tarraconensis quondam adpellabatur, et *ulteriorem*, quae Baeticam et Lusitaniam complectitur.

Ea re cognita. Cur autem cognita sit, narrat Suetonius l. citato. Crassum nempe, seu metu sive poenitentia ductum, non comparuisse, nec caedis signum a Iulio Caesare datum esse.

chinabantur. Quod ni Catilina maturaſſet pro curia ſignum ſociis dare; eo die, poſt conditam urbem Romanam, peſſumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant; ea res conſilium diremit.

CAPVT XIX.

[Piſo, homo foediſſimus, adnitente quidem Craſſo, Senatu tamen haud invito, Quaeſtor in Hiſpaniam citeriorem miſſus, in ipſo itinere a barbaris interficitur.]

Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam Quaeſtor

Quod ni. Particula *quod* adjecta conjunct. conditionalibus interdum redundat.

maturaſſet — ſignum — dare; i. e. nimis mature feſtinanterque, prius quam omnia eſſent parata.

pro curia — ante curiam. Sic Livius I. 47. *Curia* locus omnino, quo Senatus advocatur. Non enim iisdem ſemper locis conveniebat; ſed modo in templis — quae erant loca inaugurata, et huic uſui deſtinata — modo in aedibus ſacris Deorum, e. g. Concordiae, Apollinis, Iovis Statoris, Bellonae etc. Vid. Nieup.

Quia — convenerant — *ea res conſ. diremit.* Omiſſa eſt conjunctio *ſed;* ipſa autem verborum junctura inſolita, Dicendum enim fuiſſet: Sed quia non freq. arm. convenerant, propterea conſilium irritum fuit. Similem tamen hypallagen Cortius inveniſſe adfirmat in Iug. L. X, L. XV et L. XXXIV.

Cap. XIX. *Quaeſtor pro Praetore,* praetoria dignitate, quamvis erat quaeſtor. „Inſolens autem erat, inquit Cortius, Quaeſtorem pro Praetore mitti — — ſed hic propter utilitatem publicam extra ordinem aliquid factum.“ „Urbanorum quaeſtorum munus praecipuum fuit cura *aerarii,* quod erat in aede Saturni. — Dicti ſunt a quaerendo, quod *conquirerent* pecunias publicas.“ Nieup. quem conf. p. m. 79. Adminiſtrato autem munere urbano, cum Proconſule, vel etiam Propraetore in provinciam ibant, tributa atque vectigalia collecta mittebant, militibus ſtipendia atque frumenta procurabant.

pro Praetore missus est, adnitente Crasso; quod eum infestum inimicum Cn. Pompejo cognoverat. Neque tamen senatus Provinciam invitus dederat: quippe foedum hominem a republica procul esse volebat: simul, quia boni quam plures praesidium in eo putabant: et jam tum potentia Cn. Pompeji formidolosa erat. Sed is Piso, in provinciam ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occisus est. Sunt, qui ita dicunt, imperia ejus injusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati: alii autem, equites illos, Cn. Pompeji veteres fidosque clientes, voluntate ejus Pisonem adgressos: numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore conjuratione satis dictum.

CAPVT XX.

[Interjecta illa superioris conjurationis brevi commemoratione ad recentia Catilinae facta revertitur Sallu-

adnitente Crasso; cfr. Cap. XVII, ubi Cn. Pompejum Crasso invisum fuisse dixit, ut hic *cujusvis* opes contra illius potentiam crescere voluerit.

infestum inimicum Vtramque vocem, etsi altera posset abesse, ut supra, consentientibus quippe libris scriptis omnibus, retinendam duxere Cortius atque Tellerus. Nam infestius idem hic est quod acerrimus.

praesidium sc. contra formidolosam, cujus paulo post mentionem facit, Pompeji potestatem.

superiore. quae ante hanc conjurationem, de qua scribo, facta est, cujus vero itidem particeps fuit Catilina.

ſtius, et orationem, quam ille vel habuit, vel habuiſſe videri poteſt, elegantiae plenam, legentibus tradit.]

Catilina ubi eos, quos paullo ante memoravi, conveniſſe videt: tametſi cum ſingulis multa ſaepe egerat; tamen in rem fore credens univerſos adpellare et cohortari, in abditam partem aedium ſecedit: atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem hujuscemodi habuit.

Ni virtus fidesque veſtra ſpectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidiſſet; ſpes magna, dominatio in manibus fru-

Cap. XX. *tametſi cum ſingulis* etc. vid. Cap. XVII. „Singulos adpellare: hortari alios, alios tentare etc."

arbitris proprie ſunt teſtes, quorum arbitrio litigantes rem judicandam relinquunt. Hoc loco idem eſt, quod teſtes omnino.

orationem hujuscemodi etc. Vel ex his adparet, non totidem verbis dictam eſſe a Catilina orationem. Salluſtius noſter ſequitur vulgarem hiſtoricorum morem, ut ea, quae dicentis loco ipſi forſan dixiſſent, legentibus tradant; quod valde auget lectorum delectationem. Nemo enim eorum, qui ſimul cum Catilina conjuraverant, dicta ejus calamo excipere voluiſſe aut potuiſſe videtur. In ejusmodi orationibus fingendis ingenium atque ſolertiam ſummam prodiderat Thucydides, quem ad imitandum ſibi propoſuerunt Criſpus atque Tacitus. Verum etiam Livius in hoc eloquentiae genere excellit. — Catilinae oratio tum ad dicentis, tum ad audientium mores accommodatiſſima eſt.

Ni virtus fidesque. Recte Salluſtius ea loquentem fecit Catilinam, quae ad conciliandam auditorum gratiam, excitandamque ſpem plurimum valerent.

nequidquam etc. idem fere eſt, quod paulo poſt dixit: fruſtra dominationis occupandae opportunitatem nactus eſſem.

ſpes magna, dominatio, Recte: non *dominationis.* Nam ſpes magna h. l. idem eſt, quod res vehementer expetita.

ſtra fuiſſent: neque ego per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempeſtatibus vos cognovi fortes fidosque mihi: eo animus auſus, maxumum atque pulcherrumum facinus incipere: ſimul quia vobis, eadem mihi, bona malaque intellexi. nam idem velle atque nolle, ea demum firma amicitia eſt. Sed ego quae mente agitavi, omnes jam antea diverſi audiſtis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum conſidero, quae conditio vitae futura ſit, niſi nosmet ipſi vindicamus in libertatem. Nam poſtquam respublica in paucorum jus atque ditionem conceſſit; ſemper illis reges, tetrarchae vectigales eſſe: populi, nationes ſtipendia pendere: ceteri omnes, ſtrenui, boni, nobiles atque ignobiles vulgus fuimus, ſine

per ignaviam a. v. i. i. e. per homines ignavos vanique ingenii. Vani autem ingenii ſunt, qui vel conſilii inopia nihil valent, vel, quae promiſerint, praeſtare aut nolunt aut nequeunt. Germanice ita redderem: ich würde nicht durch feige Menſchen oder leere Köpfe eine ungewiſſe Herrſchaft für die Aufopferung gewiſſer Vortheile zu erſtreben ſuchen.

eo, eam ob cauſam.

idem velle atque nolle etc. cfr. bell. Jugurth. c. XXXI. ubi dicit: eadem cupere, eadem odiſſe, eadem metuere — inter bonos amicitia, inter malos factio eſt. Huc facit locus quidam Ciceronis in Laelio, qui: talis, inquit, improborum conſenſio non modo excuſatione amicitiae tegenda non eſt, ſed potius omni ſupplicio vindicanda etc.

diverſi ſinguli, uti ſupra dictum eſt.

nosmet ipſi. Latinius hoc eſt, quam *ipſos.*

ſine gratia, quoniam qui

gratia, ſine auctoritate, his obnoxii, quibus, ſi respublica valeret, formidini eſſemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos ſunt, aut ubi illi volunt: repulſas nobis reliquere, pericula, judicia, egeſtatem. Quae quousque tandem patiemini fortiſſumi viri? nonne emori per virtutem praeſtat, quam vitam miſeram atque inhoneſtam, ubi alienae ſuperbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enim vero pro Deum atque hominum fidem! victoria nobis in manu. viget aetas, animus valet: contra illis annis atque divitiis omnia conſenuerunt. tantum modo incepto opus eſt: cetera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium, tolerare poteſt, illis divitias ſuperare, quas profundant in exſtruendo mari et montibus coaequandis;

gratiam populi ſibi conciliarunt, plurimum valent, hinc *ſine gratia* eſſe ſignificat: nihil valere.

repulſas nobis reliqu. etc. i. e. in eam miſeriam nos adduxerunt, ut magiſtratus ambientes repulſas feramus, et pericula, judicia (injuſta) egeſtatemque tolerare cogamur.

viget aetas, i. e. aetate, cum ſimus adoleſcentes, vigemus.

divitiis — conſenuerunt. Divitiis enim allecti luxuriae dediti eſſe, atque ita corpus debilitare conſueverunt.

res etc. ipſum negotium, quid agendum ſit, ſuppeditabit.

ſuperare, ſuperfluas eſſe.

in exſtruendo mari, ad aedificia in mari exſtruenda.

montibus coaequandis; taxat forſan Lucullum, qui talia circum Neapolim feciſſe fertur.

nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius, domos continuare; nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Cum tabulas, signa, toreumata emunt; nova diruunt, alia aedificant; postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine divitias vincere nequeunt. At nobis domi inopia, foris aes alienum: mala res, spes multo asperior. denique, quid reliqui habemus, praeter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt! fortuna omnia victoribus praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica ma-

continuare, nullo intervallo vel temporis vel loci interposito aedificare.

nova diruunt. Egregie hanc insani luxus descriptionem illustrat locus quidam ap. Suetonium in Caesare Cap. 46. quem conf.

Cum — aedificant etc. idem est ac si diceres, etiamsi aedificent, tamen etc.

trahunt, vexant, i. q. dilapidant.

divitias vincere, consumere nequeunt.

spes multo asperior. Plerumque *spes* est jucundarum rerum cum probabilitate expectatio; interdum tamen de omnium sine discrimine rerum expectatione dicitur; et hic *spes aspera* est nostrum: eine traurige Aussicht.

Res, misera cujusque nostrum conditio.

tempus, vel rei gerendae opportunitas, vel reipublicae status valde infirmus.

pericula, ab aliquo tyranno vel etiam ab egestate et angustia rei familiaris, imminentia.

gis, quam oratio, hortentur. Vel imperatore, vel milite me utimini. neque animus, neque corpus a vobis aberit. Haec ipſa, ut ſpero, vobiſcum conſul agam: niſi forte animus fallit, et vos ſervire, quam imperare, parati eſtis.

CAPVT XXI.

[Qua audita quum conjurati flagitarent, ut belli praemia ſibi proponerentur, Catilina, ſumma quaeque pollicitus, haeſitantes ſuorum animos confirmat, conventumque dimittit.]

Poſtquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, ſed neque res neque ſpes bona ulla, tamen etſi illis quieta movere, magna merces videbatur; tamen poſtulare plerique, uti proponeret, quae conditio belli foret: quae praemia armis peterent: quid ubique opis aut ſpei

Vel imperatore, v. milite. Satis callide profecto ita loquitur Catilina, ne quis invidia commotus eum detrectet.

ſervire quam imperare, i. e. ſervire potius quam etc.

Cap. XXI. *homines, quibus mala abunde omnia erant* etc. Quod confirmat Cicero, qui Catilinam Orat. I. c. 10. hisce verbis adloquitur: nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam ſpe derelictis conflatam improborum manum.

quieta movere, i. e. quietum reip. ſtatum turbare.

Quae conditio belli etc. Diverſus eſt ſenſus pro diverſa vocis *conditio* interpretatione. Nam vel hoc interrogabant Catilinae commilitones: ſub quanam conditione, id eſt, quibus praemiis propoſitis, bellum ingredi ſuaderet; vel, quod minus probo, propter ea quae ſequuntur, ſcire volebant: quem ad modum, ſeu qua ratione (nach welchem Plane) bellum gerendum foret.

haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proſcriptionem locupletium, magiſtratus, ſacerdotia, rapinas, alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert. Praeterea eſſe in Hiſpania citeriore Piſonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, conſilii ſui participes: petere conſulatum C. Antonium, quem ſibi col-

tabulas novas. Tabulae ſunt codices accepti et expenſi. „Hinc tabulae *novae* dicuntur, cum debitores creditas pecunias cum uſuris perſolvere non coguntur, et abolitis prioribus debitis (vel omnibus, vel ex parte ſaltem), novae tabulae conficiuntur." Quae cum infringerent publicam fidem, perniciosae admodum erant reipublicae. Hinc Cicero in Orat. II. in Cat. Cap. VIII. „An tabulas novas (ſc. expectas)? Errant qui iſtos a Catilina expectant: meo beneficio tabulae novae proferentur, verum auctionariae. Neque enim iſti, qui poſſeſſiones habent, alia ratione ulla ſalvi eſſe poſſunt."

Proſcriptionem i. e. relegationem ac bonorum publicationem, quibus divites reddere ſuos voluit Catilina. „Sed eos, inquit Cicero, hoc moneo, deſinant furere, et proſcriptiones et dictaturas cogitare." l. c. Hunc proſcribendi morem Sullae et Marii temporibus ortum eſſe addit Dahlius. Idemque docet, praemia nonnunquam iis decreta eſſe, qui proſcriptos atque expulſos patria cives necaſſent.

Praeterea eſſe ſc. dicebat. Nam verbum dicendi latet in antecedenti *polliceri.*

in Mauretania, Africae parte, ad maris Mediterranei atque Atlantici oram ſita, orientem verſus Numidiae vicina.

P. Sittius eques Romanus Nuceriae (vel in Campania, vel in Umbria, vel denique, nam tres fuere hujus nominis urbes, in Gallia Cispadana) natus, qui cum in judicium vocatus, paullo ante patefactam conjurationem, cum turba ſuorum in Africam profugerat, ibique Mauritaniae regi adverſus finitimos tetrarchas auxilium tulerat. Appian. de bello civili IV. 55. Eundem Cicero in Orat. pro Sulla Cap. XX. non tantum excuſat, ſed amicum veterem et hoſpitem vocat. Sittius poſtea (A. V. 708) Caeſari in Africa opem tulit, Dione Caſſ. teſte Lib. XLIII.

C. Antonium Hybridam cognomine — M. Antonii, ora-

legam fore ſperaret, hominem et familiarem, et omnibus neceſſitudinibus circumventum: eo conſulem initium agendi facturum. Ad hoc maledictis increpat omnis bonos: ſuorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egeſtatis, alium cupiditatis ſuae, complures periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Poſtquam omnium animos alacris videt; cohortatus, ut petitionem ſuam curae haberent, conventum dimiſit.

toris clariſſimi, filium, cujus pater A. V. 665. a Mario proſcriptus interierat. Fratrem habebat *M. Antonium Creticum.*— Triumviri, M. Antonii, patrem. Quum aedilitate functus eſſet, A. V. 687. praetor renuntiatus eſt, et triennio poſt Ciceronis in Conſulatu collega fuit — vir moribus parum honeſtis, qui tamen, conjuratione detecta, Tullio non defuit, ſed ipſe poſtea contra Catilinam exercitum duxit. Cfr. Cap. XXXVI. extr. LVI et LIX. Poſtea tamen a Cenſoribus (Gellio atque Lentulo) Senatu ſubmotus, praeturam iterum obtinuit ope Ciceronis; ſed cum Macedoniam peſſime adminiſtraſſet, nec omni ſuſpicione eſſet liberatus, civitate ejectus eſt. Dio Caſſ. Lib. XXXVIII. p. 64.

omnibus neceſſitudinibus circumventum i. e. omni miſeria adflictum, rebusque ad vivendum neceſſariis deſtitutum. Non tamen ita locum interpretarer, *niſi antecederet:* ET FAMILIAREM. Alias enim hanc phraſin ad officia neceſſitudinis ſignificanda, quibus C. Antonium ſibi devinxiſſet, valere arbitrarer. Nam non obſtat, quod *circumventum* eundem illis dicit, quia dolo malo, quo facilius conjurationis participem eum faceret, uſus eſſe videtur.

eo conſulem initium. Horum verborum loco, quae Cortius pro lubitu et arbitrio poſuit, reſtituenda ſine dubio ſunt illa antiquiora: *cum* eo *ſe* conſulem.

admonere cupiditatis i. e. excitare cupiditatem. Cupiditas vero, cum omnem animi lubidinem vehementiorem, tum habendi cupiditatem ſeu avaritiam ſignificat.

CAPVT XXII.

[Quod autem nonnulli dixere jusjurandum, ab illis exactum, ritu quodam ſacro confirmatum eſſe, juſtis de cauſis dubitatur.]

Fuere ea tempeſtate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad jusjurandum popularis ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem, vino permixtum, in pateris circumtuliſſe; inde cum poſt exſecrationem omnes deguſtaviſſent, ſicuti in ſollemnibus ſacris fieri conſuevit, aperuiſſe conſilium ſuum, atque eo, dictitare, feciſſe; quo inter ſe fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conſcii. Nonnulli ficta

Cap. XXII. *populares ſceleris* i. e. participes, conſcios ſceleſtae conjurationis.

humani corp. ſang. Dio Caſſ. Lib. XXXVII. p. 43. memorat puerum a conjuratis mactatum, ſuperque ejus viſcera jusjurandum conceptum eſſe. Cort. Ita, certe addit Cortius, ſolebant, qui per ſanguinem humanum foedera ſanciebant, quod patet ex Plut. Poplic. p. 98. Cfr. Plut. in Vita Cic. Cap. X. et Flor. IV 1. qui rem ita narrat: Additum eſt pignus conjurationis, ſanguis humanus, quem circumdatum pateris bibere: ſummum nefas, niſi amplius eſſet propter quod biberent. A Graecis in foedere faciendo vel taurum, vel arietem, a Romanis porcum caeſum eſſe, Scythas autem Medosque ſua ipſorum corpora laceraſſe conſtat. Hunc Scytharum morem enarrat Pomp. Mela (II. 1.). Similem Iberum Tacit. Ann. XII. 47. cui comparavit Aethiopum quorundam conſuetudinem doctiſſimus Dahlius, cujus interpretationem ad verbum fere transtuli.

Quod ad vinum ſanguine permiſtum attinet, diſcant juvenes, genus quoddam hujusce modi potionis aſſaratum olim vocatum eſſe.

eo — quo, eum ad finem etc.

Nonnulli ficta etc. Non eſt vero diſſimilis haec opinio quorundum. Ciceronem enim, quo facilius conjuratorum conſilia impediret, nonnullos ci-

haec, multa praeterea existumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum, qui poenas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

CAPVT XXIII.

[Fulvia, mulier nobili genere orta, imminens reipublicae periculum comperit e sermonibus Curii, hominis audacissimi levissimique, quocum familiariter vivebat, remque omnem, celato auctoris nomine, multis narravit, et rumoribus divulgatis effectum est, ut M. T. Cicero, homo novus, Consul crearetur.]

Sed in ea conventione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus; quem Censores Senatu probri gratia

vium indicta causa interfici jussisse constat. Qua re quum magnam sibi invidiam conflasset, non dubito quin familiares ejus, quorum valde magnus fuit numerus, excusandi Consulis gratia hujuscemodi facinora finxerint. Auget vero et hic locus Sallustii fidem, ejusque judicium commendat. *parum.* zu wenig.

Cap. XXIII. *conventione* al. conjuratione. Sensus idem. Recte Dahlius vocem *conjuratione* a Cortio temere expunctam, restituendam esse censet. — Idem in seq. *moverant* pro amoverant recepit auctoritate duorum codd. et quia verbum illud in tali causa solemne fuisse videtur.

quem Censores probri etc. Nam ad duo capita referri possunt munera censorum, ad *aestimationem facultatum* et ad *morum aestimationem*, quae quidem non proprie delicta publica spectabat (nam illa legibus et judiciis vindicanda servabantur), sed domestica et minora. Notae autem Censorum praecipue fuerunt quatuor, quas vid. in Nieupoort Rit. Rom. Suec. Expl. p. m. 160. sect. II. Cap. IX. §. 2.

amoverant. Huic homini non minor vanitas, quam audacia; neque reticere, quae audierat, neque ſuamet ipſe ſcelera occultare. prorſus neque dicere, neque facere quidquam penſi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, ſtupri vetus conſuetudo; cui cum minus gratus eſſet, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria monteſque polliceri coepit; minari interdum ferro, niſi obnoxia foret: poſtremo ferocius agitare, quam ſolitus erat. At Fulvia inſolentiae Curii cauſſa cognita, tale periculum reipublicae haud occultum habuit; ſed, ſublato auctore, de Catilinae conjuratione quae quoque modo audierat compluribus narravit. Ea res inprimis ſtudia hominum accendit ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia aeſtuabat, et quaſi pollui conſulatum credebant, ſi eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. Sed ubi

muliere nobili, quam Florus viliſſimum ſcortum appellat.

inopia, i. e. *propter inopiam*.

repente. Simulac peſtifera conſilia cum eo communicaſſet conjurationis princeps.

maria monteſque, adagium hoc ſimile fere eſt noſtro: goldene Berge verſprechen. Cfr. Ter. Phorm. A. I. Sc. II. 18. ubi occurrunt verba: modo non montes auri pollicens.

niſi obnoxia foret i. e. niſi obſequium praeſtaret ſibi.

poſtremo non eſt hoc loco noſtrum: endlich, zuletzt, ſed: ut brevi dicam.

ſublato auctore. i. e. nomine auctoris celato.

homo novus, cujus majorum nemo nec conſulatum nec alium magiſtratum curulem obtinuerat. Sed qui per ſe ipſe emerſerat. Optime illu-

periculum advenit, invidia atque ſuperbia poſtfuere.

CAPVT XXIV.

[Sed nihilo minus Catilina bellum ſtrenue praeparat; Faeſulas, ubi Manlius commorabatur, pecuniam praemittit, viros complures et mulierum perditiſſimarum turbam in ſuas partes trahit.]

Igitur comitiis habitis, Conſules declarantur M. Tullius et C. Antonius. quod factum primo populares conjurationis concuſſerat. Neque tamen Catilinae furor minuebatur; ſed in dies plu-

ſtratur hic locus Appiani verbis de bell. civ. II. 2. a Cortio citatis: „Καλουσι οὕτω τους ἀφ' ἑαυτων, ἀλλ' ου των προγονων γνωριμους." Cicero ſemet ipſe hominem per ſe cognitum adpellat in Or. I. Cat. C. XI. et alibi hominem *a ſe ortum*.

Cap. XXIV. *comitiis habitis* ſc. centuriatis, quae tribus de cauſis habebantur; primo: ut magiſtratus majores (Coſſ., Cenſores atque Praetores) crearentur; ſecundo, ut leges ferentur; tertio, ut judicium perduellionis exerceretur. Centuriarum erant CXCII. quae in campo Martio conveniebant. Vid. Nieup. p. m. 36. §. 4. Ciceronem, cui Senatus, Catilinae infeſtus, favebat (cfr. Cap. antec.) cunctis centuriarum ſuffragiis creatum eſſe probat Dahl. e Cap. I. Or. in Piſonem. Neque tamen per nefas illum honorem obtinere ſtuduit. Sed cum Catilina et Antonius populum vario modo, largitionibus et bonorum obtrectationibus, corrumpere ſtuderent, Cicero *orationem in toga candida de lege ambitus*, habuit, cujus fragmenta tantum ſuperſunt. Praeter illos habuit etiam alios competitores — P. Sulpicium Galbam, tresque viros nobiles — L. Caſſium Longinum, Q. Cornificium et Licinium Sacerdotem.

declarantur. Sc. praeconis voce, qui, cum populi ſuffragiis creati eſſent conſules, nomina eorum pronunciabat.

populares conjurationis, ſocios, conſcios ejus.

ra agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam ſua, aut amicorum fide ſumtam mutuam, Faeſulas ad Manlium quemdam portare, qui poſtea princeps fuit belli faciundi. Ea tempeſtate plurimos cujusque generis homines adſciviſſe dicitur; mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis ſumtus ſtupro corporis toleraverant: poſt ubi aetas tantummodo quaeſtui, neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. per eas ſe Catilina credebat poſſe ſervitia urbana ſollicitare, urbem incendere, viros earum vel adjungere ſibi, vel interficere.

arma p. I. l. o. parare i. e. armatos disponere.

Faeſulae. Nomen urbis in Etruria montibus, Apenninis conterminae, haud procul a Florentia ſitae; hodie vicus modicus, Fiezola dictus.

Manlium — Rectius ſcribitur *Mallium,* Plutarchi, Dionis Caſſii, Appiani et inſcriptorum antiquorum auctoritate. Hic olim in exercitu Sullano ſtrenue pugnaverat (teſte Plut. in Vit. Cic. 14.), ſed immodica luxuria perditis bonis, ad Catilinae partes transierat. Cicero eum adnumerat tertio conjuratorum generi, quod aetate jam fuerit affectum, ſed tamen exercitatione robuſtum. Non tamen magnam fuiſſe ejus auctoritatem ex adjecta voce: *quemdam* colligas.

ingentis ſ. — toleraverant. Tantam ſtupris pecuniam olim ſibi conflaverant, ut magnos ſumtus tolerare ſ. ſuſtinere poſſent.

ubi aetas — fecerat, cum per corporis imbecillitatem ſtuprum ferre amplius non poſſent, luxuriae tamen ita erant adſuetae, ut ab ea nondum abstinerent.

ſervitia ſ. ſervos.

CAPVT XXV.

[In his erat Sempronia, femina ingenio culto, moribus parum honeſtis, cujus imaginem vividiſſimis coloribus depingit.]

Sed in his erat Sempronia, quae multa ſaepe virilis audaciae facinora commiſerat. Haec mulier genere atque forma, viro, liberis ſatis fortunata: litteris Graecis atque Latinis docta: pſallere, ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt probae: multa alia, quae inſtrumenta luxuriae. Sed ei

Cap. XXV. *genere.* Nobiliſſima enim erat Romae Semproniorum familia.

viro, D. Bruto, Senatore.

litteris — docta i. e. linguam Romanam et Graecam docta, atque in ſcriptis G. et R. (in d. Litteratur) verſata. Quod quam glorioſum fuerit Romanis ex Horatio patet, qui Odar. L. III. 8. 5. Maecenatem laudat his verbis: docte ſermones utriusque linguae.

pſallere idem eſt quod *canere vel ore vel inſtrumento muſicó, vel utroque.* Infinitivus aut pro more hiſtoricorum Imperfecti loco poſitus eſt, aut conjungendus eſt cum *docta.* Dahlius citavit locum Suetonii Tit. 3. ubi cantare et pſallere conjunguntur, ut illud ſit *ore* hoc *fidibus* canere.

neceſſe eſt probae. Cum ii, qui ſaltando canendoque victum ſibi comparabant, luxuriae et voluptatibus dediti eſſe ſolerent, ipſaeque illae artes fomitem praeberent vitiis compluribus, (cfr. Horat. Odar. II. 11. 21. 22) non admodum, vigente republica, probata eſt Romanis ſaltatio et omnino ars muſica, quamvis eadem in Graecia diu floruerat. Qua de re conf. praefatio C. Nepotis: „Nemo fere, inquit Cicero, ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit; neque in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto: intempeſtivi convivii, amoeni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio.“ — Non prorſus tamen contemtam fuiſſe artem muſicam colligas ex verbis adjectis: magis quam neceſſe eſt probae. — Quanta vero facta ſit paulatim commutatio morum, cognoſcas ex Horatio L. III. Od. 6.

Sed. Mira ineſt huic voci emphaſis. Nam refertur ad initium periodi antecedentis,

cariora ſemper omnia, quam decus atque pudicitia fuit: pecuniae an famae minus parceret, haud facile decerneres: lubido ſic accenſa, ut ſaepius peteret viros, quam peteretur. Sed ea ſaepe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, caedis conſcia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium ejus haud abſurdum; poſſe verſus facere, jocum movere, ſermone uti vel modeſto, vel molli, vel procaci. prorſus multae facetiae multusque lepos inerat.

CAPVT XXVI.

[Catilina, quamquam hoſtiliter contra patriam agere coeperat, Conſulatum tamen petere non erubeſcit, et Ciceroni interim inſidias tendit, qui multiplici arte tutum ſe praeſtat. Fruſtra petito Conſulatu ille bellum decernit.]

ubi Salluſtius eadem uſus eſt particula.

luxuria — abierat h. e. luxuria, et, quae inde oritur, inopia *eo delapſa erat, ut nihil penſi haberet*, vel etiam: in ſummam miſeriam quaſi praeceps ceciderat. Alteram hanc interpretationem probat Dahl. qui vertit: durch Schwelgerey und Armuth war ſie in den Abgrund des Verderbens hinabgeſtürzt.

Ingenium ejus haud abſurdum: ſie war nicht ohne Geſchmack, ihre Geiſtesbildung war nicht zu verachten.

jocum movere ea loqui, quae aliis jocandi materiam praeberent.

ſermone uti vel modeſto, vel molli, vel procaci i. e. vel matronae pudicae, vel tenerae puellae, vel meretricis laſcivae perſonam agere. Eleganter vertit Dahlius: ſie verſtand die Sprache der Sittſamkeit, der Galanterie und der Frechheit.

prorſus i. q. ſupra *poſtremo*, kurz; etiam noſtrum: überhaupt.

His rebus comparatis, Catilina nihilominus in proxumum annum Consulatum petebat; sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut astutiae deerant. Namque a principio consulatus sui, multa pollicendo per Fulviam, effecerat, ut Q. Curius, de quo paullo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret. circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio, neque insidiae, quas Consulibus in

Cap. XXVI. *His rebus*, quas in cap. vigesimo quarto enumeravi, armis nempe, pecunia et sociis, in quibus, praeter alias feminas, erat Sempronia, cujus mores ὡς ἐν παρόδῳ depinxi Cap. antec. Sensus: Quamvis ea comparaverat Catilina, quae ad hostilem incursationem, non ad patriam defendendam, pertinebant, tamen Consulatum, quasi civitatis salutem curans, petere non dubitabat.

Antonio „homine et familiari et omnibus necessitudinibus circumvento."

omnibus modis etc. conf. Cic. Orat. I. in Catilinam, ubi: quoties, inquit, tu me designatum, quoties me Consulem interficere voluisti etc.

dolus. Haec vox, cum plerumque contineat malitiae notionem, hoc loco significat prudentiam satis honestam. „Semper, inquit Cicero, vigilavi et providi, quirites, quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus." conf. l. c.

pactione etc. Macedoniae scilicet regendae, quae ipsi forte obtigerat, multaque commoda proconsuli praebere poterat.

campo fecerat, prospere cessere; constituit bellum facere et extrema omnia experiri: quoniam quae occulte tentaverat, aspera foedaque evenerant.

CAPVT XXVII.

[Dimissis duobus audaciae satellitibus, multisque frustra tentatis Romae conatibus, iterum convocat factionis principes, quibus et alia multa narrat, et consilium necandi Ciceronis patefacit.]

Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum credebat. Interea Romae multa simul moliri; Consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere: ipse cum telo esse, item alios jubere: horta-

Cap. XXVII. *in eam partem Etruriae* sc. in qua Faesulae sitae sunt.

Camertem, ex Camerino, Umbriae urbe.

Picenum „est regio Italiae trans montem Apenninum, ab ipsis montibus usque ad mare Adriaticum extensa;" hodie: Marchia Anconitana.

Apuliam „Italiae regionem mari Adriatico conterminam, inter Dauniam et Calabriam."

praeterea etc. praeter hos, sociorum principes, quos propterea, quod erant principes, ex omni numero nominavi.

quem ubique opportunum, ubi quis vel amicorum et propinquorum opera uti poterat, vel regionem et loca pugnae aptissima noverat, ibi eum collocandum esse arbitrabatur. „Video, inquit Cicero, cui Apulia sit attributa, qui habuit Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui sibi has urbanas insidias caedis atque incendiorum depoposcerit."

ri, vti ſemper intenti paratique eſſent: dies noctesque feſtinare, vigilare, neque inſomniis neque labore fatigari. Poſtremo ubi multa agitanti nihil procedit, rurſus intempeſta nocte conjurationis principes convocat per M. Porcium Laecam: ibique multa de ignavia eorum queſtus, docet, *ſe Manlium praemiſiſſe ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; ſeque ad exercitum proficiſci cupere, ſi prius Ciceronem oppreſſiſſet: eum ſuis conſiliis multum obſicere.*

intempeſta nocte. i. q. media nocte, dicunt interpretes nonnulli, quoniam haec non ſit rebus agendis *tempeſtiva* ſ. idonea. Non autem videtur hiſtorico ſcriptori licitum eſſe otioſis uti nominibus adjectivis; nec poteſt, ſi curatius loqui volumus, nox *intempeſta* vocari. Nam Catilinae ejusque ſociis maxime erat *tempeſtiva.* Forſan idem eſt, quod *procelloſa.*

ibique ſc. apud Laecam; ex quo videmus, M. Porcium Laecam non ſolum fuiſſe Catilinae adparitorem, *ſed* eum etiam *ad ſe* convocaſſe conjurationis ſocios. Obſcure tamen dictum eſſe fateor. Quare pluribus placet *penes* M. P. Laecam: tum ut intelligatur, eos in domum ejus convocatos fuiſſe, tum quoniam indignum fuiſſet *Senatore,* Catilinae quaſi adparitorem eſſe, denique quod ſequens *ibi* nullum antecedens habeat, ad quod referri poſſit. — Sed quod *Senatore* indignum fuiſſe dicunt, id non erat *conjurationis ſocio* indignum; et cum ſignificare vellet, non ſolum *per* Laecam, ſed ad eundem convocatos homines eſſe, rectius ita locutus eſt, me quidem judice, quam ſi dixiſſet: *penes Laecam,* quamvis obſcurum illud eſſe non diffiteor.

obſicere alicui, eſt: facere aliquid contra aliquem, ſive id quod impedimento eſt alicui.

CAPVT XXVIII.

[Horrendum illud facinus patrandum suscipiunt C. Cornelius et Lucius Vargunteius. Cicero autem per Fulviam certior factus, illos aditu arcet. — Manlius interim factiosorum in Etruria copias multiplicat.]

Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius Senator, constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum introire ad Ciceronem, ac de improviso domi suae imparatum confodere. Curius ubi intellegit, quantum periculi Consuli impendeat, propere per Fulviam dolum, qui parabatur, enunciat. Ita illi janua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul, ac dolore injuriae novarum rerum cupidam: quod, Sullae dominatione, agros bonaque omnia amiserat; praeterea latrones cujusque generis, quo-

CAP. XXVIII. *dubitantibus* talem virum de republica meritissimum interficere.

L. Vargunteius Senator. At Cicero: Reperti sunt, inquit, duo *equites* Romani. Forsan et Vargunteius ex equestri ordine erat oriundus.

paullo post sc. convocatum vel dimissum coetum.

sicuti salutatum „Moris enim fuit apud Romanos, ut hora *prima et secunda* principem nobiliores salutatum irent, *tertia* in judiciis occupati essent, *quarta et quinta* rei domesticae incumberent, *sexta* defessi quieti se darent, *septima* otiarentur, *octava* se in palaestra exercerent, *nona* vero coenarent."

imparatum prius quam auxilium sibi parare posset; vel potius, nihil tale opinantem.

latrones erant olim *milites*,

rum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

CAPVT XXIX.

[Res per Ciceronem ad Senatum refertur, qui periculi depellendi caufa, fecundum morem majorum, fummam Confulibus poteftatem permittit.]

Ea cum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab infidiis privato confilio longius tueri poterat, neque exercitus Manlii quantus, aut quo confilio foret, fatis compertum habebat, rem ad Senatum refert, jam antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio folet, Senatus decre-

ab imperatore *conducti*, qui ei a *latere* effent, et primi imminens quodvis periculum fubirent. Qui cum praedari graffarive confueffent, hinc latrones etiam dicti funt *viarum obfeffores*, qui viatores aut vita aut pecunia fpoliant.

ex Sullanis colonis i. e. Sullae militibus, ab imperatore in aliorum agros emiffis.

Cap. XXIX. *ancipiti malo;* partim ab aliis, qui in urbe reliqui erant, partim ab exercitu Manliano imminente, ut ex iis, quae jam dicta funt, quaeque a Salluftio fubjunguntur, adparet.

privato id eft, fuo folius confilio.

rumoribus exagitatam, incerta fama faepius et palam motam.

quod pl. in. atr. n. folet. etc. Quamvis enim poft inftitutos plebis tribunos imminuta erat confulum poteftas, „tamen etiam poftea aliquando extra ordinem fumma poteftas (et eadem, quae Dictatoris cfr. Liv. L.VI. cap 19) illis delata fuit; turbidis fcilicet et in fummum difcrimen adductis rebus, folemni fenatusconfulti formula: Viderent Coff. etc. etc. Hoc Graeci dicebant: διὰ φροντίδος αὐτοὺς ἔχειν, ὥστε μηδε-

vit, DARENT OPERAM CONSVLES, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET. Ea poteſtas per Senatum, more Romano, magiſtratui maxuma permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque civis: domi militiaeque imperium atque judicium ſummum habere; aliter, ſine populi juſſu, nulli earum rerum conſuli jus eſt.

CAPVT XXX.

[Poſtquam C. Manlium arma cepiſſe nuntiatum eſt, imperatores duo in Apuliam, totidemque Praetores in agrum Picenum mittuntur. Praemia proponuntur iis, qui de conjuratione eſſent indicaturi; gladiatorum manus in municipia distribuitur.]

Poſt paucos dies L. Saenius ſenator in Senatu litteras recitavit, quas Faeſulis adlatas ſibi dicebat: in quibus ſcriptum erat, C. Manlium arma cepiſſe, cum magna multitudine, ante diem IV. Kalendas Novembris. Simul id, quod in tali

μιαν αποτριβην τῳ δημοσιῳ συμβηναι eaque forma S. C. ultimae ſemper neceſſitatis habita eſt: et aliquando etiam Praetores, Tribuni pl. et Proconſules, qui ad Urbem erant, ea formula comprehenſi fuerunt." cfr. Caeſar B. G. I. 3.

Ea poteſtas etc Non accurate haec dicta videntur. Voluit enim ſignificare Salluſtius: ita, ſeu ea formula uſum, Senatum poteſtatem maximam magiſtratui ſeu magiſtratibus permiſiſſe.

magiſtratui i. e. quod *conſuli*, ut e ſequentibus patet, ubi dicit: *nulli* earum rerum *conſuli* jus eſt.

CAP. XXX. *Saenius Senator in Senatu.* Sic omnes libri, etiam Codd. Eſcurr., quamvis non placeat auribus.

ante diem IV. Kal. Nov. h.

re ſolet, alii portenta atque prodigia nunciabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia ſervile bellum moveri. Igitur Senati decreto Q. Marcius Rex Faeſulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque loca miſſi: Ii utrique ad urbem Imperatores erant; impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honeſta atque inhoneſta vendere mos erat. Sed

e. die vigeſimo Octobris. Confirmatur hoc Salluſtii teſtimonium loco quodam Ciceronis in prima in Catilinam oratione: Meminiſtine me ante diem XII. Kal. Novemb. dicere in Senatu, certo die fore in armis, qui futurus eſſet ante diem IV Kal. Novembris, C. Manlium audaciae ſatellitem atque adminiſtrum tuae?"

portenta atque prodigia. Omne prodigium eſt portentum, non item omne portentum prodigium dicitur. Illud (portentum) eſt quaſi genus. Significat enim generatim omnia quae portenduntur, e quibus aliquid conjectura adſequi poſſumus; prodigia eſſe videntur ea, quae certiores rerum futurarum notas praebent, ut aliquanto certius quid futurum ſit *praedicere* (prodicere quaſi) queamus.

„Nam viſae ſunt, inquit Cicero, nocturno tempore ab occidente faces, ardorque coeli, mota eſt terra, fulmina deciderunt." Conf. et Plin. Hiſt. Nat. lib. II. c. 51.

in Apulia — moveri. Non ab ipſis ſervis, ſponte bellum moventibus, ſed a C. Iulio, in Apuliam miſſo, qui praemiis et promiſſa libertate ſervos exagitaſſe videtur.

circumque loca. loca circum Apuliam ſita.

ad urbem Imperatores erant. Oportebat enim triumphum petentes „extra urbem ſubſiſtere, et ibi decretum integri ſenatus exſpectare." Quod qui exſpectabant *ad urbem eſſe* dicebantur.

calumnia Schikane, Cabale. „Eſt enim calumnia verſuta quaedam et callida fallendi ratio, et quamvis huic verbo proprium ſit in accuſatione domicilium, eidem tamen migrationes in alienum eſſe multas, exemplis intelligitur." Sunt Manutii verba ad Ep. I. Cic. Fam. p. 27.

honeſta et inhoneſta vendere hoc eſt, accepta pecunia, vel

Praetores Q. Pompejus Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; iisque permissum, *uti pro tempore atque periculo exercitum compararent.* ad hoc, *si quis indicavisset de conjuratione, quae contra rempublicam facta erat, praemium servo libertatem et sestertia centum: libero impunitatem ejus rei, et sestertia ducenta.* item [decrevere,] *uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur, pro cujusque opibus: Romae per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magistratus praeessent.*

honore aliquem afficere, vel de laudibus alicujus detrahere.

in agr. Picenum sc. missi sunt. cfr. Cic. orat. 2. ,,Q. Metellus, quem ego, prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumque praemisi, aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus conatusque prohibebit."

pro tempore atque periculo exercitum i. e. exercitum satis magnum ad depellenda reipublicae pericula. Non igitur erat definitus militum comparandorum numerus, quem alias, ut ex hoc ipso loco patet, definire solebant.

libero impunitatem ejus rei, sc. conjurationis, cujus ipse esset particeps. Non satis accurate loquutus esse videtur Sallustius; dicere enim debuisset: si quis conjuratorum indicavisset etc.

decrevere similis est locus in Cap. XXXVI. ubi, quamvis antecedat: *judicat, statuit,* tamen adjicitur in sequentibus *decernit.*

gladiatoriae familiae i. e. servi gladiatores.

municipia i. e. civitates, quae suis quidem juribus atque institutis utuntur, quarum vero cives donati sunt civitate Romana.

minores magistratus. ,,Dividuntur magistratus a *qualitate* in majores et *minores*, idque duplici ratione: primo enim *majores Magistratus* dicuntur, qui majora habent *auspicia*; sc. *consules, praetores* et *censores*; *minores* qui *minora*; secundo *majores* dicuntur, qui lictorem vel viatorem habent: quos nec *quaestores* nec *aediles* habuerunt.

CAPVT XXXI.

[Capitt. 31. 32. 33. Ingens tum Romae luctus omnes civium ordines pervasit. Catilina nihilo secius eadem movere pergit, in Senatum venire audet, ubi a Tullio vehementi oratione castigatus, misericordiam implorat, innocentiamque simulat. Tandem, quum detestationibus omnium resistere non posset, furibundus et minitans abit, cum paucis ad Manlium proficiscitur, relictis Cethego atque Lentulo, qui inceptum facinus maturarent. C. Manlius interim ad imperatorem *Marcium Regem* socios quosdam miserat, qui adfirmarent, se libertatis tuendae, non divitiarum adquirendarum caussa, arma cepisse. Nisi illa restitueretur, necessitatem bellandi miseris, et a Praetore oppressis civibus impositam esse.]

Quibus rebus permota civitas, atque immutata urbis facies: ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit. festinare, trepidare; neque loco, nec homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere: suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus, reipublicae magnitudine, belli timor in-

Cap. XXXI. *diuturna quies.* Nam inde a Cimbrico bello, e quo Romani superiores discesserant (vid. C. LIX.), et post cruentam Sullae victoriam (vid. C. V.) intestini motus atque civium seditiones cessaverant.

pro reipublicae magnitudine belli timor insolitus i. e. *propter* magnitudinem reip. quae tot cives armatos peregrinis hostibus opponere poterat, tantisque gaudebat opibus, non solebant timere. Sic Cicero dixit; aliquem amare *pro* ejus suavitate. Cortius *pro* abjecit.

ſolitus, adflictare ſeſe, manus ſupplices ad coelum tollere; miſerari parvos liberos; rogitare, omnia pavere; ſuperbia atque deliciis omiſſis, ſibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat: tamen etſi praeſidia parabantur, et ipſe lege Plautia interrogatus ab L. Paullo. Poſtremo disſimulandi cauſſa, atque ſui expurgandi, ſicuti jurgio laceſſitus foret, in Senatum venit. Tum M. Tullius Conſul, ſive

manus ſupplices, i. e. complicatas, atque ſupinas.

rogitare, ſicut curioſi homines atque timidi facere ſolent. Rogabant enim, qualem eventum res eſſet habitura.

Omnia pavere. Nam timidorum eſt, etiam ea, quae non ſunt timenda, timere.

ſibi patriaeque ſuae ipſarum patriaeque ſaluti.

eadem illa movebat ſcil. quae ſupra deſcripſi. Conjungenda ſunt cum ſeq. *tametſi* etc. Ungeachtet der Staat auf Vertheidigung bedacht war, beſchäftigte ſich der grauſame Catilina noch immer mit denſelben Planen.

lege Plautia ſic dicta ab auctore ejus, Marco Plautio Silvano Tribuno plebis. Lata erat contra conjuratos, de quibus quaeſtiones inſtitui jubebat. Quicunque vel ſenatui inſidias fecerat, vel magiſtratibus intulerat vim, vel cum telo fuerat in conſpectu populi, vel ſeditionis cauſa loca ſuperiora occupaverat, eum lex Plautia in jus vocari voluit. Lata haec erat A. V. 664.

interrogatus i. e. examinatus, in jus vocatus, accuſatus.

ab L. Paulo. Hic eſt L. Aemilius Paulus, A. V. 703. Claudii Marcelli in Conſulatu collega, quem Cicero (in Vatin. c. 10) *hominem praedicat ad conſervandam remp. natum*, qui duos nefarios patriae proditores, domeſticos hoſtes, legibus exterminarat.

Poſtremo. Cum primum interrogatus ſ. accuſatus eſſet, dubitaſſe videtur iretne an maneret.

ſui expurgandi, ſeu a ſuſpicione conjurationis liberandi.

ſicuti jurgio non aliter ac ſi contra L. Paullum, a quo hac ipſa interrogatione irritatus eſſet, cauſam dicere vellet.

in Senatum, quem Cicero in templum Iovis Statoris, in monte Palatino ſitum, convo-

praesentiam ejus timens, seu ira commotus orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae: quam postea scriptam edidit. Sed, ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, *Patres Conscripti ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: ne aestumarent, sibi patricio homini, cujus ipsius, atque majorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita*

caverat, quinto a. Id. Novembris. Cfr. Cic. I. Or. Cat. C. 5 et 13. Ubi quemadmodum Catilina sit exceptus, narratur ab eodem Orat. II. C. 6.

sive praesentiam ejus timens. Verens, ne cum senatoribus nonnullis, quos in suas partes traxerat, vim sibi inferret. Ipse enim Or. IV. C. 1: Ego sum (inquit) ille Consul, cui — non curia — non sedes honoris unquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit." Et Catilinae adventus aliquam innocentiae speciem prae se ferebat. Sed iram tamen fuisse metu vehementiorem, ex ipso praestantissimae omnibusque numeris absolutae orationis exordio patet.

orationem. Loquitur autem hic de prima oratione.

luculentam adeo planam, ut, quid Catilina agitaret, nemo non facile posset videre; qua effectum est ut maleficus ille proxima nocte urbem relinqueret. Saepe autem *luculentus* idem est quod *praeclarus.*

temere sine argumento veritatis.

ea familia — ita i. e. se non solum tam nobili familia ortum, sed ita quoque vitam instituisse etc.

in plebem Romanam. Acute vidit Gruterus, hanc lectionem e falsa literarum P. R. interpretatione ortam, legendumque esse populum Romanum. Verisimilius enim est, quod recte observat Dahlius, Catilinam majorum suorum in omnes Romanos, non tantum in plebejos, beneficia praedicare voluisse.

Republica opus esse, cum eam servaret M. Tullius inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia cum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: *Quoniam quidem circumventus,* inquit, *ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.*

inquilinus est qui *incolit* vel domum vel terram sine mancipio et nexu. Idem hic est *Inquil.* quod supra *homo novus.* Quare hoc tanquam glossema e cod. Brixiensi jure erit rejiciendum. — Opposuit autem Catilina, vel Sallustius potius, *inquilinum* homini *patricio.* Equidem dubito haec accurate sibi invicem opponi, cum et civis Romanus, imo patricius homo, inquilinus esse possit, et Cicero vere fuerit civis Romanus. Cum autem Catilina maledicere vellet Consuli, ut e subsequ. patet, non curavit nimis maledictorum veritatem.

atque parricidam. Vel ex hoc loco patet, parricidam *non ubique* vocari eum, qui vel parentem, vel fratrem etc. occidit. Hic enim est, „qui patriae interitum quaerit" cfr. C. 51. Eodem nomine Tullius notaverat hominem scelestum Or. I. C. 7. „te patria odit ac metuit, et jam diu te nihil judicat, *nisi de parricidio suo,* cogitare.

Quoniam quidem etc. Haec et quae sequuntur, non ficta esse Sallustii, sed ipsius Catilinae dicta, vel ex brevitate sententiae verisimile est. Probatur vero etiam loco quodam Ciceronis, qui in orat. pro Muraena Catilinae verba quasi circumscribendo ita recitat: Si quod esset in suas fortunas incendium, id se non aqua sed ruina restincturum. Quae Ciceronis verba simul explicant sententiam Catilinae. — Bene autem congruunt inter se: praeceps agi ab inimicis, et: ruina restinguere incendium. Quare opinor *incendium* non pro *furore,* seu vehementi desperantis animi adfectu, sed pro summa miseria dictum esse. Optime Dahlius: incendium in fortunas meas excitatum ruina reip. restinguam: Ich will den mir bereiteten Untergang durch den Ruin der Republik verhindern — eodem fere modo, quo dirutis aedificiis proximum incendium solet restingui.

CAPVT XXXII.

Dein ſe ex Curia domum proripuit. ibi multa ſecum ipſe volvens, quod neque inſidiae conſuli procedebant, et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optumum factum credens, exercitum augere, ac prius, quam legiones ſcriberentur, antècapere, quae bello uſui forent; nocte intempeſta cum paucis in Manliana caſtra profectus eſt. Sed Cethego atque Len-

Cap. XXXII. *ſe ex Curia proripuit.* cum feſtinatione et furore curiam reliquit. Cic. *erupit* e Senatu. Salluſtii vocem dubito aptiorem eſſe vocabulo Ciceronis, in eoque non conſentio cum Cl. Tellero. Nam ad ſignificandam hominis furore correpti feſtinantiam multum valet hujus verbi et vis et brevitas. Sed alia occaſione hisce verbis uſum eſſe Catilinam bene monet Dahlius. Nam Cicero l. c. dicit, eum paucis diebus ante (diem XIX. Oct.) Catoni haec reſpondiſſe. In quo tempore definiendo facile errare potuit Noſter, et, qui eum ſequitur, Florus IV. 1. Nam ne vigeſimo quidem poſt conjurationem anno Salluſtius in Senatum receptus erat.

„Sic Valer. Max. IV. 1. 2. in publicum *ſe proripuit*, et Plin. Epiſt. VI. 20, non moratus *proripuit ſe effuſoque curſu* periculo aufertur.

n. inſidiae conſuli procedebant. Ambigue dictum, niſi ex antecedentibus, quid ſibi Salluſt. voluerit, appareret.

ab incendio — munitam diſpoſitos eſſe per urbem qui excubias agerent, et ab incendio defenderent illam.

prius quam leg. ſcriberentur. ſc. adverſus ſe a Praetoribus Q. Pomp. Rufo et Q. Metello Celere (cfr. C. XXX.).

q. bello uſui forent, pro bellum gerentibus.

nocte intempeſta i. e. media nocte, ut ſupra; quae erat inter octavum et nonum Novemb. diem media.

cum paucis. Trecentos ſecum duxiſſe refert Plutarch in Vit. Cic. c. 16.

profectus eſt. *Secundum Dionem Caſſium L. XXXVII. p. 44. ex decreto ſenatus abiit. Noſter autem et Cicero ſponte eum diſceſſiſſe narrant. Cfr. Tullii Or. I. c. 9. ubi armatos ab eo praemiſſos eſſe commemorat, qui apud Forum Au-

tulo, ceterisque quorum cognoverat promtam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, caedem, incendia, aliaque belli facinora parent: sese prope diem cum magno exercitu ad urbem accessurum. Dum haec Romae geruntur C. Manlius ex suo numero ad Marcium Regem mittit, cum mandatis hujuscemodi:

CAPVT XXXIII.

Deos hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum homini faceremus, sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent; qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate foeneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus: neque cuiquam nostrum licuit, more majorum, lege uti, neque, amisso patrimonio, liberum corpus habere: tanta saevitia foeneratorum

relium eum praestolarentur; in quam deinceps ipse viam ingressus est. Cfr. Or. 2. Cat. C. 4.

quorum cognoverat promtam audaciam — die er als fertige Waghälse kannte, Abbt, seu: deren immer rüstige (entschlossene) Kühnheit er kannte. Vid. de his quae notavimus ad C. XVII.

Q. Marcium Regem. Imperator hic missus erat in agrum Picenum. *Rex* gentis Marciae cognomen fuisse, legimus in Sueton. Caes. C. VI.

„Nam ab Anco Marcio, inquit Caesar, sunt Marcii Reges. Eamque ob causam litera majuscula scribendum erat vocabulum Rex. cfr. Liv. XLIII, 1.

Cap. XXXIII. *corpus libe-*

atque Praetoris fuit. Saepe majores vestrum miseriti plebis Romanae decretis suis inopiae opitulati sunt: ac novissume memoria nostra, propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solutum est. Saepe ipsa plebes aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, armata a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus; quarum rerum caussa bella atque certami-

rum habere sc. a vinculis et carceribus.

Praetoris, quoniam per hunc licuit foeneratoribus, exigendae pecuniae causa, debitores in vincula conjicere.

majores vestrum i. e. Senatus. Vestrûm bene pro aliorum *vestri*, restitutum est, auctoritate Gellii N. A. XX. 6.

novissume memoria nostra i. e. recentissimis temporibus. Memoria enim saepissime tempus, cujus meminimus, significat; quare praeterita tantum, non praesentia tempora intelligenda sunt.

argentum aere solutum est. Sicut nostra memoria Francogalli in reipublicae discrimine pro excusis monetis charta uti consueverunt, ita puto Romanos, propter aeris alieni magnitudinem, pro argento interdum aere usos esse, ut si quis e. g. quatuor argenti asses cuidam deberet, totidem aeris asses numeraret. Nonnunquam vero novae tabulae confectae sunt, quibus debitorum summa deminueretur, quas tamen perniciosissimas reipublicae fuisse constat.

Saepe ipsa plebes — a patr. secessit. Primum hoc fecit A. V. 259. auctore *Sicinio* quodam, viro strenuo. Nam quum plebeji homines, inquit Nieupoort p. 131. per continuas exceptiones militares, quibus rem suam familiarem curare prohibebantur, multum aeris alieni contraherent, et saepe a creditoribus, quando solvendo non essent, in servitutem abducerentur, hanc injuriam non ulterius ferentes, saepe a Patribus hujus mali levamen petierunt, sed saepius elusi — tandem in sacrum montem trans Anienem fluvium secesserunt. Qua occasione constat institutos esse plebis Tribunos.

na omnia inter mortalis ſunt; ſed libertatem, quam nemo bonus, niſi cum anima ſimul, amittit. Te atque Senatum obteſtamur, conſulatis miſeris civibus; legis praeſidium, quod iniquitas Praetoris eripuit, reſtituatis; neve eam neceſſitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo, ulti maxume ſanguinem noſtrum, pereamus.

CAPVT XXXIV.

[Capitt. 34. 35. Marcius poſtulat, ut armis depoſitis a Senatu veniam petant. — Catilina, quo ſecuriores redderet magiſtratus, Conſularibus ex itinere ſcripſerat, ſe Maſſiliam in exilium profecturum eſſe. Sed longe diverſam epiſtolam, Cap. ſequenti ſubjunctam, ad Q. Catulum miſerat, quae, cum in Senatu recitata eſſet, clandeſtinum ejus conſilium aperte prodidit.]

Ad haec Q. Marcius: *Si quid ab Senatu petere vellent, ab armis diſcedant, Romam ſupplices proficiſcantur: ea manſuetudine atque miſericordia Senatum Populumque Romanum ſemper fuiſſe, ut nemo umquam ab eo fruſtra auxilium petiverit.* At Catilina ex itinere pleriſque Conſularibus, praeterea

ut quaeramus — pereamus ut cum Veſtro et reipublicae maximo damno intereamus, ſive: ut vi et motibus inteſtinis libertatem et praeſidia negata obtinere ſtudeamus, et quamvis non poſſimus pervenire ad finem, maxima tamen rempublicam calamitate adficiamus.

Optumo cuique litteras mittit: *Se falſis crimi-nibus circumventum, quoniam factioni ini-micorum reſiſtere nequiverit, fortunae ce-dere, Maſſiliam in exilium proficiſci: non quo ſibi tanti ſceleris conſcius; ſed uti res-publica quieta foret; neve ex ſua conten-tione ſeditio oriretur.* Ab his longe diverſas [litteras] Q. Catulus in Senatu recitavit, quas ſibi nomine Catilinae redditas dicebat. earum exemplum infra ſcriptum.

CAPVT XXXV.

L. Catilina Q. Catulo S. Egregia tua fi-des re cognita, gratam in magnis periculis fiduciam commendationi meae tribuit.

Cap. XXXIV. *Optumo cui-que* etc. Non erat ſcribendum, ut eſt in edit. Telleri, littera majuſcula.

ſe falſis — circumventum. Cujus rei libet ſimulatorem et disſimulatorem fuiſſe Catili-nam, ſupra dixit Salluſtius, idque vel his literis pro-batur.

non quo ſibi etc. non pro-pterea quod etc.

exemplum eine Copie.

Cap. XXXV. *fides re co-gnita* id eſt explorata, quam re ipſa, non verbis ſolum, prae-ſtitiſti.

fiduciam commendat. m. tri-buit. Quid haec ſibi velint, apparet e ſequentibus. Com-mendat enim Catilina his lite-ris Q. Catulo Oreſtillam, id-que eo majori cum fiducia, quo magis exploratam habebat amici fidem. Germanice ſic redderem hunc locum: deine von mir ganz erprobte Treue flöſst mir bei der Empfehlung (der Oreſtilla) ein Zutrauen ein, welches mir bei der gro-ſsen Gefahr, worin ich ſchwe-be, äuſserſt angenehm iſt.

Quamobrem defenſionem in novo conſilio non ſtatui parare: ſatisfactionem ex nulla conſcientia de culpa proponere decrevi: quam me Dius fidius veram licet agnoſcas. Injuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris induſtriaeque meae privatus, ſtatum dignitatis non obtinebam, publicam miſerorum cauſſam pro mea conſuetudine ſuſcepi: non quin aes alienum meis nomini-

defenſionem — parare. *Defenſionis* notio hic eadem eſt, quae paulo poſt *ſatisfactionis.* Nolo, inquit Catilina, me excuſare, cur novum hoc ceperim conſilium. Non autem memini, hanc φρασιν *defenſionem parare* alibi me legiſſe.

in novo conſilio h. e. in motibus, quos egenorum ſublevandorum cauſa ciebo; ſive: in conjuratione, qua meam et aliorum libertatem defendere, communique inopiae ſuccurrere, conſtitui.

ſatisfactionem — decrevi: Haec itidem inuſitata eſt bonis ſcriptoribus locutio. Haec eſio, inquit, defenſio mea, ut dicam probemque tibi, maleſactorum me non mihi eſſe conſcium. — Duae ſunt rationes, quas ob hanc epiſtolam opinor ab ipſo Catilina ſcriptam eſſe. Primum enim Salluſtius expreſſis verbis rem confirmat, deinde inſolita eſt et incultior in his litteris oratio. Quis enim dicet: *ſatisfactionem ex nulla conſcientia de culpa proponere?*

ſtatum dignitatis non obtinebam. Reſpicit ad Conſulatum, quem fruſtra obtinere ſtuduerat. Cfr. Cap. XVIII. ubi: „poſt paulo, inquit, Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat conſulatum petere, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit."

publicam miſeror. cauſam quae totius reipublicae intereſt: die Sache aller unglücklichen Staatsbürger.

pro mea conſuetudine. Quam falſum hoc ſit Catilinae de ſuo ipſius in cives miſeros ſtudio, facile cognoſcent lectores e Cap. V. Uſitatam vero eſſe conjuratis hujusmodi oſtentationem, noſtrorum temporum hiſtoria docet.

bus ex possessionibus solvere possem; cum alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret: sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum secutus. Plura cum scribere vellem, nunciatum est, vim mihi parari. Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado. eam ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. haveto.

nominibus. Quoniam eorum nomina, qui mutuo petebant pecunias, in tabulas inscribebantur, *nomina* significant debitores; igitur *aes alienum meis nominibus* nihil aliud quam: ex mei nominis inscriptione sumta, seu *mihi* mutuo petita pecunia.

cum alien. nom. — persolveret: Etiamsi, inquit, ipse solvere non possem ex meis, facile tamen impetrarem pecuniam ab Aurelia Orestilla (quacum, ut supra relatum est, incestum commiserat) quae tantis gaudet divitiis, ut aliorum etiam debita persolvere non recuset.

alienatum remotum. Major tamen est illius verbi vis. Nam se, quasi alienum hominem, non civem Romanum, nedum Patricii generis civem, cum contemtu quodam rejectum esse dicit Catilina.

pro m. casu mea calamitate. Spes reliquae dignitatis conservandae satis honesta est, quia miseriis aliorum opitulari studeo, praesertim si cogito, quanta sit mea calamitas, cum, qui infelices sint et adversa vexentur fortuna, dignitatem amissam rarissime recuperent.

Nunc Orestillam etc. Haecce commendatio primarius fuit hujus epistolae finis, idque ex ejusdem initio cognoscimus.

haveto — aveto, valeto.

CAPVT XXXVI.

[Catilina et Manlius hoſtes a Senatu judicantur; ſimul, quae ad deſenſionem reipublicae pertinerent, praeparantur.]

Sed ipſe paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in agro Arretino, dum vicinitatem, antea ſollicitatam, armis exornat, cum faſcibus atque aliis imperii inſignibus in caſtra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta; ſenatus *Catilinam et Manlium hoſtes judicat; ceterae multitudini diem ſtatuit, ante quam ſine fraude liceret ab armis discedere, praeter rerum capitalium condemnatis.* Praeterea decernit, *uti Conſules dilectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam*

Cap. XXXVI. *C. Flaminium Flammam,* virum ceteroquin ignotum. Non enim eſt confundendus cum debitore quodam Ciceronis, cujus mentio facta eſt in Ep ad Div. XVI. 24. et ad Att. XVII. 7.

Arretino. Aretium ſ. Arretium urbs fuit Etruriae, a Graecis condita.

atque aliis imperii inſignibus, aquila argentea, trabea, ſecuribus, et praetexta. Hinc Cicero in Orat ſecunda: cum haeſitaret, inquit, cum cunctaretur: quaeſivi, quid dubitaret proficiſci eo, quo jam pridem pararat; cum arma, cum ſecures, cum faſces, cum tubas, cum ſigna militaria, cum aquilam illam argenteam, cui ille etiam ſacrarium ſcelerum domi ſuae fecerat, ſcirem eſſe praemiſſam.

ſine fraude, impune, ſine ullo bonorum detrimento. Nam quia fraus adfert detrimentum, ſaepiſſime haec vox habet detrimenti notionem.

dilectum habeant milites comparent, diligendo ex omni civitate eos, quos ad bellum gerendum maxime exiſtimarent fore idoneos, etiam invitos. „Hoc in majoribus tantum reip. periculis fieri con-

perſequi maturet; Cicero urbi praeſidio ſit. Ea tempeſtate mihi imperium populi Romani multo maxume miſerabile viſum: cui cum ad occaſum ab ortu ſolis omnia domita armis paterent; domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, adſluerent; fuere tamen cives, qui ſeque remque publicam obſtinatis animis perditum irent. Namque duobus Senati decretis ex tanta multitudine, neque praemio inductus conjurationem patefecerat, neque ex caſtris Catilinae quisquam omnium diſceſſerat. tanta vis morbi, uti tabes, pleroſque civium animos invaſerat.

CAPVT XXXVII.

[Capitt. 37. 38. 39. Praeter conjurationis ſocios, multi omnium ordinum cives Catilinae conſilia probabant. Hujus adſenſionis multiplices cauſae, penitus in miſero civitatis ſtatu latentes, ab auctore explanantur. — Inter eos, qui maxime illi favebant, erat etiam Lentulus.]

ſuevit: alioqui contenti erant iis, qui ultro nomina dabant.“ — Similis eſt in Anglia mos, ſi quidem neceſſitas urget, nautarum comparandorum.

neque praemio inductus cfr. Cap. XXX. ubi dixit: „ſi quis indicaviſſet de conjuratione etc. praemium ſervo libertatem et ſeſtertia centum.“

tanta vis morbi tam vehemens et peſtifer morbus. Eſt vero hic morbus *rerum novarum cupiditas*, der Revolutionsſchwindel. Ita accipiendam eſſe illam vocem ipſe Salluſtius docet in init. cap. ſequ. ubi dicit: omnino cunctam plebem, non illos ſolum, *novarum rerum ſtudio* Catilinae incepta probaſſe.

Neque ſolum illis aliena mens erat, qui conſcii conjurationis; ſed omnino cuncta plebes novarum rerum ſtudio Catilinae incepta probabat. Id adeo more ſuo videbatur facere. Nam ſemper in civitate, quis opes nullae ſunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent; turba atque ſeditionibus ſine cura aluntur:

Cap. XXXVII. *aliena mens* alienata a reip. commodo.

Id adeo etc. Magna ineſt h. l. vis in voce *adeo*. Dicere voluiſſe puto Salluſtium: Tantum abeſt ut miremur cunctam plebem novarum rerum cupidam fuiſſe, ut *adeo*, ſi non fuiſſet aliena mente, mirandum foret. Quam brevem elegantemque ſententiam paulo poſt fuſius, nec minus eleganter explicuit.

bonis. Opponuntur hic *boni* iis, *quibus* opes nullae ſunt. Et haec videtur prima fuiſſe illius vocis ſignificatio. Cum autem qui bona poſſident majora, intentius curare ſolent reipublicae ſalutem, qua vigente et illi ipſi incolumes ſunt, hinc factum eſt, ut idem ſignificaret quod noſtrum: *Patrioten*, *rechtſchaffene Bürger*. Hoc loco utramque notionem habere videtur propter ſequ. *malos*.

odio ſuarum rerum — ſtudent: ſie wünſchen, ihrer Lage überdrüſſig, eine gänzliche Umwälzung des Staats.

turba — damno. Cum nihil poſſideant ipſi, aliorum vero bona diripiant, aluntur, ſeu nutrimenta ſibi parare poſſunt, abſque omni propriae cladis metu. Similem locum e Iugurth. bell. hiſtoria citavit Tellerus, ubi Cap. 83. „ homini, inquit, potentiam quaerenti, egentiſſimus quisque opportuniſſimus, cui neque ſua curae, quippe quae nulla ſunt, et omnia cum pretio honeſta videntur." Ceterum, adjicit Tellerus, de hoc plebis vitio Herodianus bene obſervat VII, 15. illud quidem ubique ei commune eſſe, Romae tamen maxime regnare, ob variam ex peregrinis coactam magnamque multitudinem." —

Ceterum, veriſſime depictos eſſe egenae plebis mores, nemo dubitabit, qui recentiſſimos in Gallia motus cum aliqua attentione animi ſpectavit.

quoniam egeſtas facile habetur ſine damno. Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat multis de cauſſis. Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxume praeſtabant; item alii per dedecora patrimoniis amiſſis; poſtremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam, ſicuti in ſentinam, confluxerant. Deinde multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios Senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu aeta-

Sed urbana pleb., ea vero etc. Hactenus de plebe omnino dixerat Salluſtius; jam ad *urbanam*, quae hic eſt *Romana*, oratio deflectitur. Animadvertent autem lectores nexum verborum ſingularem: *Urbana plebes, ea vero.* Idem fere eſſet: quod ad urbanam attinet plebem, ea etc.

praeceps ierat temere, ſine conſilio et ratione, in partes Catilinae tranſierat.

Primum omnium — deinde — poſtremo etc. Non admodum diligenter varia urbanae plebis genera hoc loco diſtinxiſſe videri poſſet Noſter. Nam quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii jam notati ſunt verbis illis antecedentibus: qui ubique probro atque petulantia maxime praeſtabant. Attamen bene haec inter ſe conciliantur, ſi *poſtremo* vertimus: *kurz*, ita ut, quos diſtingueré et in ſuas claſſes distribuere coepiſſet, iis unam quaſi notam inurat. Nam verba *primum omnium* referenda ſunt ad *deinde* in periodo ſequenti.

alii — amiſſis patrimoniis pro: alii, qui per dedecora, hoc eſt per luxuriam vel negligentiam, patrimonia amiſerant.

Victu et cultu. *Victus* eſt omne illud, ſine quo vivere non poſſumus, eſus, potus et ſimilia; *cultus* comprehendit ea, quae ad commoditates vitae, ad habitum elegantiorem, cibum potumque delicatiorem, aedificia pulchra et ſplendida, pertinent. Quum autem pro morum diverſitate alia aliis videantur neceſſaria, facile vides, non ubique *victus* eandem eſſe notionem. E. g. potus calidior, herba Nicotiana, etc., etſi ad cultum pertineant, a

tem agerent, ſibi quisque, ſi in armis forent, ex victoria talia ſperabant. Praeterea juventus, quae in agris, manuum mercede, inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori praetulerant. eos atque alios omnes malum publicum alebat. Quo minus mirandum, homines egentis, malis moribus, maxuma ſpe, reipublicae juxta ac ſibi conſuluiſſe. Praeterea quorum, victoria Sullae, parentes proſcripti, bona erepta, jus libertatis imminutum erat, haud ſane alio animo belli eventum exſpectabant. Ad hoc, quicumque aliarum atque Senati partium erant, conturbari rempublicam, quam minus valere ipſi malebant. Id adeo malum multos poſt annos in civitatem reverterat.

noſtris hominibus ad victum referri ſolent.

praetulerant; recte, etſi praecedat: juventus, quod eſt vocabulum colligens. Sequiquitur etiam *eos.*

alios omnes qui nempe Romam ſicuti in ſentinam confluxerant.

reipublicae juxta ac ſibi etc. h. e. aeque minus ſalutem reipublicae ac ſuam ipſorum curaſſe, Similem loquendi modum invenimus C. LXI: cuncti ſuae hoſtiumque vitae juxta pepercerant.

jus libertatis imminutum erat. Iure libertatis ad ſummos quisque magiſtratus adſpirabat, et a violentis aliorum injuriis ſecurior erat. Proſcriptorum vero filii edicto Sullae victoris a magiſtratibus prohibebantur.

haud ſ. al. animo. Nam et hi divites ſe fore et in Senatorum numerum receptum iri ſperabant.

minus valere deminui ſuam poteſtatem.

CAPVT XXXVIII.

Nam postquam Cn. Pompejo et M. Crasso Consulibus tribunicia potestas restituta; homines adolescentes, [summam potestatem nacti] quibus aetas animusque ferox, coepere, Senatum criminando, plebem exagitare; dein largiundo, atque pollicitando magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, Senati specie pro sua magnitudine. Namque, uti paucis absolvam, per illa tempora quicumque Rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti populi jura defenderent, pars, quo Senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque

Cap. XXXVIII. *Tribunicia potestas restituta* „Nam L. Sulla optimatum partibus addictus, cum rempubl. armis oppressisset, tribunorum potestatem valde minuit, imo fere sustulit lege lata A. V. 672. *ne qui Trib. pl. fuisset, alium deinceps magistratum caperet; neve iis jus esset concionandi, vel leges ferendi; neve ad eos provocaretur:* sed solam et nudam *intercessionem* ipsis reliquit.

Verum anno V. 679. Cotta Consul jus magistratus capiendi iis restituit; et reliqua omnia A. V. 683. Pompejus M.; atque ita haec usque ad Iulium Caesarem perstitit. Sunt verba Nieupoorti p. 137 et 138. qui uberius hac de re ibi disserit.

Senati specie: simulantes Senatus auctoritatem defendere se velle, revera autem, ut ex iis, quae sequuntur, patet, suam ipsorum potentiam augere cupientes, unter dem Vorwande die Rechte des Senats schützen zu wollen.

pro sua magnitudine omni adhibita vi, qua pollebat, mit seiner ganzen Stärke.

honestis nominibus i. e. honesto praetextu, quum, quod mox adjungit Noster, bonum publicum simularet.

potentia certabant. neque modeſtia, neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant.

CAPVT XXXIX.

Sed poſtquam Cn. Pompejus ad bellum maritimum atque Mithridaticum miſſus; plebis opes

neque modeſtia, neque modus contentionis erat; neque, dum inter ſe contendebant, temperabant adfectibus, neque finem faciebant contentioni propter cupiditates inexhauſtas divitiarum et potentiae.

exercere victoriam eſt noſtrum: ſeinen Sieg verfolgen, davon Gebrauch machen.

Cap. XXXIX. *Maritimum* bellum etiam *piraticum* dicitur. Nam A. V. 638 piratae, qui Ciliciam aliasque maris mediterranei inſulas coluerant, optimatum forſan auxilio adjuti, Graeciae Italiaeque oras maritimas vaſtare, ac depopulari, templa villasque incendere, ſervos non tantum, ſed liberos etiam cives, in his duos praetores, ſecum abducere, et ſummam in captivos crudelitatem exercere coeperant. (Conf. Plut. in Vit. Pompeji C. 24.) Qui cum Romanorum navigia hoſtili impetu perſequerentur, multisque captis commercium navale impedivilient, ut magna inde exiſteret annonae caritas, M. Antonius primus contra eos claſſem duxit. Quo ſuperato atque occiſo Q. Metellus Conſul in ejus locum ſuffectus non ſemel eos in Creta inſula vicit. Sed cum ne hic quidem eos domare ac prorſus infringere potuiſſet (nam quadringenta etiam tum oppida, claſſemque ingentem tenuiſſe dicuntur) A. V. 686. lege A. Gabinii Pompejus ſummam imperii nactus claſſe ingenti multisque copiis eos vicit, leniterque uſus victoria, intra paucos menſes navigia locaque munita eorum, partim cepit, alia delevit, mareque tutum reddidit. Cfr. Plut. l. c. C. XXV — XXVIII. Dio Caſſ. L. XXXVI. Cic. p. lege Manil. C. XI. XII. Vellej. Pat. II. 31. 32.

ad bell. marit. atque Mithrid. miſſus; Bellum cum Mithridate, Ponti rege, hoſte Romanorum crudeliſſimo, ſeptem prope annos adminiſtrarat L. Lucullus. Qui cum a Senatu revocatus Romam rediiſſet, rogatione ad populum C. Manilius, pl. tr., ſuaſit, ut ei bello Cn. Pompejus, qui praedones

imminutae, paucorum potentia crevit. Hi magiſtratus, provincias, aliaque omnia tenere: ipſi innoxii, florentes, ſine metu aetatem agere, ceteros judiciis terrere, quo plebem in magiſtratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandis ſpes oblata, vetus certamen animos eorum arrexit. Quod ſi primo praelio Catilina ſuperior, aut aequa manu discesſisſet: profecto magna clades atque calamitas rempublicam op-

maritimos brevi tempore debellaverat, praeficeretur. Quam Maniliam legem cum Q. Catulus et Hortenſius Conſulares, propter creſcentem Pompeji potentiam, disſuaſisſent, Ciceronis eloquentia factum tamen eſt, ut Pompejus cunctis ſuffragiis imperator deligeretur.

„Mithridates autem tanta *fuiſſe dicitur* vi et animi et corporis, ut ſex juges equos regeret, viginti duas linguas calleret." Crudelitatem vero ſummam et in Romanos et in ſuam ipſius domum exercuit.

innoxii plerumque dicuntur, qui nullo modo aliis nocent. Hanc autem vim *hic* non habere vocem iſtam, facile vides. Innoxius h. l. eſt, qui ab omni aliorum noxa ſecurus vivit.

ceteros. Quum huic vocabulo opponatur PLEBEM, patricios ſignificari intelligimus. Nam quo, plebem placidius tractantes, ſuam firmarent augerentque poteſtatem, ceteros patricii generis homines judiciis terrebant.

novandis al. *novandi*, quod certe, ſi conjungendum eſt verbum illud cum voce *ſpes*, praeferendum videtur. Dicunt enim Romani: Spes rei alicujus faciendae, ſ. rem faciendi. Verum etiam ſejungi posſunt voces.

ſpes oblata ab antecedentibus, ita ut loci hujus ſententia ſit: ubi primum ſpes oblata eſt (ſc. recuperandae libertatis priſtinaeque dignitatis) dubiis rebus novandis, i. e. durch eine Reformation der gefährlichen, oder zweifelhaften, nicht auf ſichern Gründen beruhenden Staatsverfaſſung. Mihi tamen illud magis placet.

vetus certamen quod inde ab antiquisſimis Reip. temporibus patricii habuerant cum plebejis.

pressisset; neque illis, qui victoriam adepti, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra conjurationem complures, qui ad Catilinam profecti sunt. in his A. Fulvius, senatoris filius: quem retractum ex itinere parens necari jussit. Isdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat; neque solum cives, sed cujusquemodi genus hominum, quod modo [bello] usui foret.

CAPVT XL.

[Capitt. 40. 41. Lentulus per Vmbrenum, hominem, qui olim in Gallia negotiatus erat, legatos Allobro-

neque illis. Et si qui victoriam adepti forent, non diutius tamen ea uti licuisset, *quin* etc. Abhorret etiam hic a vulgari usu loquendi Sallustius. Sensus est: Etiamsi alia pars aliam vicisset, non ideo tamen tranquillam habuissemus civitatem, sed qui victoriam adepti forent, iis tam diu ea uti licuisset, quoad validior quidam illis defessis et exsanguibus imperium atque libertatem ademisset; bis ein stärkerer Feind ihnen Herrschaft und Freiheit aus den Händen gewunden hätte.

extra conjurationem praeter conjurationis socios.

moribus aut fortuna novis rebus idoneos aut moribus eum in modum depravatis, aut ita egenos, et aere alieno oppressos, ut ad ciendos in republ. motus idonei essent.

bello usui. Non est quod priorem vocem cum Cortio ejiciamus, etsi alii legant: *usui bello*, alii, *usui foret bello.* Nam si propter hanc lectionum diversitatem ejicimus vocem *bello*, non video, cur retinendae sint reliquae.

gum ad ſocietatem belli impellere ſtudet. Fruſtra! Illi enim rem omnem, praeſente Gabinio, in domo Bruti ſibi patefactam, poſt multas deliberationes, Fabio Sangae, patrono civitatis ſuae, aperiunt, per quem ad Ciceronem defertur.]

Igitur P. Vmbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat; eosque, ſi poſſit, impellat ad ſocietatem belli: exiſtumans publice privatimque aere alieno oppreſſos, praeterea, quod natura gens Gallica bellicoſa eſſet, facile eos ad tale conſilium adduci poſſe. Vmbrenus, quod in Gallia negotiatus, plerisque principibus notus erat, atque eos noverat: itaque ſine mora, ubi primum legatos in foro conſpexit, percunctatus pauca de ſtatu civitatis, et quaſi dolens ejus caſum requirere coepit, *quem exitum tan-*

Cap. XL. *Allobrogum*, Galliae Narbonenſis incolarum, juxta Rhodanum fluvium habitantium, victoria Fabii et Catilinae conjuratione notorum.

legatos Allobr. „Forte enim, inqu, Plut. in Cic., tum Romae erant duo legati Allobrogum, quae gens tunc maxime adfligebatur, Romanorumque dominationem aegre tolerabat. Hos Lentulus exiſtimans utiles ſibi fore ad concitandam Galliam, conjurationis ſocios effecit, literasque eis ad Senatum Allobrogicum et Catilinam dedit, libertatem illi promittens, hunc hortans, ut ſervis libertate donatis, ſtatim Romam peteret.“

publice aere al. oppr. es erlag unter der Laſt der Staatsſchulden. Forſan etiam *dicat* aliquis, τὸ *publice* non eſſe referendum ad voces *aere alieno*, ſed ad *oppreſſos*. Verum huic interpretationi obſtat, quod infra dicunt Allobroges: *dum ea res civitatem aere alieno liberaret.*

negotiatus ſc. *erat*, quod nonnulli adjiciunt.

tis malis ſperarent? Poſtquam illos videt *queri de avaritia magiſtratuum, accuſare ſenatum, quod in eo auxilii nihil eſſet; miſeriis ſuis remedium mortem exſpectare: At ego,* inquit, *vobis, ſi modo viri eſſe voltis, rationem oſtendam, qua tanta iſta mala effugiatis.* Haec ubi dixit Allobroges in maxumam ſpem adducti, Vmbrenum orare, uti ſui miſereretur: nihil tam aſperum, neque tam difficile, quin cupidiſſume facturi eſſent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit; quod foro propinqua, neque aliena conſilii, propter Semproniam: nam tum Brutus ab Roma aberat. Praeterea Gabinium arceſſit, quo major auctoritas ſermoni ineſſet: eo praeſente conjurationem aperit: nominat ſocios, praeterea multos cujusque generis innoxios: quo legatis animus amplior eſſet: dein eos pollicitos operam ſuam dimittit.

miſeriis — exſpectare. Brevitatem interdum nimiam amat Salluſtius; nam et h. l. fuiſſet ſcribendum: DICERE, SE *miſeriis ſuis remedium mort. exſp.*

neque aliena conſilii i. e. neque expers conjuratorum conſilii, ſed conſcia rerum gerendarum.

Semproniam. Decii Bruti conjugem, de qua ſupra dixit, eam *multa ſaepe virilis audaciae facinora commiſiſſe* cfr. Cap. XXV.

cujusque generis homines cujusvis conditionis, claros aeque et nobiles, atque obſcuros.

innoxios: innocentes, hoc eſt, *conjurationis expertes.*

quo — eſſet. Nam cujus facinoris multi participes ſunt, id facile ſperant ſe perpetraturos eſſe.

CAPVT XLI.

Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam confilii caperent. In altera parte erat aes alienum, ftudium belli, magna merces in fpe victoriae: at in altera majores opes, tuta confilia, pro incerta fpe, certa praemia. Haec illis volventibus, tandem vicit fortuna reipublicae. Itaque Q. Fabio Sangae, cujus patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam [confilio] cognito, legatis praecepit, ftudium conjurationis vehementer fimulent, ceteros adeant, bene polliceantur; dentque operam, uti eos quam maxume manifeftos habeant.

CAPVT XLII.

[Diverfis interim locis Galliam Italiamque perturbant illi, quos Catilina dimiferat.]

Cap. XLI. *In altera majores opes.* Majores erant opes eorum, qui Reipublicae favebant, quam conjuratorum.

tuta confilia. Nam fi quis indicaffet de conjuratione, eum videbant a maxima civium parte ftrenue defenfum iri contra eos, quibus aliena mens erat.

certa praemia ,, a Senatu pro conjurationis indicio propofita, vid. Cap. XXX.

Haec illis volv. etc. Cum diu hoc mente agitaffent, tandem fecit fecunda reip. fortuna, ut confilium aperiundae conjurationis caperent.

civitas fc. Allobrogum.

ftudium conj. veh. fimulent i. e. fimulent, fe conjurationis effe ftudiofiffimos, et ad confilia Calilinae perficienda paratiffimos.

bene polliceantur quo majorem in iis fiduciam excitent.

uti — habeant, id eft, uti eos eorumque confilia optime cognofcant.

Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos antea Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam [cuncta simul] agere: nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia plus timoris, quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer Praetor ex Senati Consultu, caussa cognita, in vincula conjecerat; item in ulteriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

CAPVT XLIII.

[Romae autem pessima quaeque negotia — videlicet urbis incendendae, Ciceronis opprimendi, et similia, conjuratis distribuuntur, quibus peractis ad Catilinam erumpere volebant.]

At Romae Lentulus, cum ceteris, qui principes conjurationis erant, paratis, ut videbantur,

Cap. XLII. *citeriore* citra Alpes sita, quam Cisalpinam alio nomine vocant, intra Alpes et Rubiconem fluvium.

cuncta simul. Haec verba, cum omnium codicum consensu, retinenda cum Tellero judicamus, nec probamus Cortium, qui ea rejecit. Sensus est: *non quaedam negotia consulto, quaedam vero temere, sed* CVNCTA SIMVL *inconsulte egerunt.*

legatus praeerat. Legati imperatoribus erant a latere, eorumque absentium locum tenebant, quemadmodum C. Murena imperatoris munere functus esse videtur.

Cap. XLIII. *paratis, ut vid. magnis copiis.* Nam praeter

magnis copiis, conſtituerant, uti, Catilina in agrum Faeſulanum cum veniſſet, L. Beſtia tribunus plebis, concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis, bellique graviſſumi invidiam optumo conſuli imponeret; eo ſigno, proxuma nocte cetera multitudo conjurationis ſuum quisque negotium exſequerentur. Sed ea diviſa hoc modo dicebantur: Statilius, Gabinius uti cum magna manu duodecim ſimul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad conſulem, ceteros, quibus inſidiae parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis januam obſideret,

viginti fere millia hominum, quae Catilina collegerat, multi a Lentulo Romae erant ſollicitati.

in agrum Faeſulanum ad C. Manlii caſtra, quem „*Faeſulas atque in eam partem Etruriae praemiſſum*" eſſe refert Cap. XXVII.

bellique graviſſ. invidiam — imponeret odium et invidiam civium excitaret contra Ciceronem, dicens, optimum hunc conſulem belli graviſſimi flammam exſuſcitaſſe.

optumo conſuli. Etſi honoris gratia conſulem quemque optimum appellare ſolebant Romani, tamen hic, propter antecedens *graviſſimi,* vere Ciceronis virtutem in defendenda patriae ſalute praedicari puto.

eo ſigno hoc ſigno dato, i. e. habita concione.

duodecim. Non omittendus eſt locus Plutarchi, in vit. Cic. a Noſtro paululum recedentis, qui: „Nox, inquit, ad rem iſtam peragendam definita fuit una Saturnalium (quae, ut haec adjiciam, IV poſt idus Decembr. celebrari coeperunt), gladii, ſtupa et ſulphur in Cethegi domum comportata; centum deinde viri ad ſingulas urbis partes ſinguli deſtinati, ut certis intervallis ſimul accenſa urbs undique conflagraret: alii ordinati, qui aquaeductus obturarent, et aquam petentes necarent."

ceteros et ceteros.

eum vi adgrederetur, alius autem alium; ſed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars, parentes interficerent; ſimul, caede et incendio perculſis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter haec parata atque decreta Cethegus ſemper querebatur de ignavia ſociorum: illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non conſulto, in tali periculo opus eſſe: ſeque, ſi pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promtus, maxumum bonum in celeritate putabat.

CAPVT XLIV.

Sed Allobrogum dolo, qui ex praecepto Ciceronis ſcriptum jusjurandum, a principibus conjurationis poſtulatum, acceperant, decipiuntur. Caſſius tamen ex urbe profectus erat. Interceptae poſtea Lentuli litterae, ad Catilinam ſcriptae, rem apertius declarant.]

familiarum tam plebejarum, quam patriciarum; non dixit Salluſtius: *familias*, quia non erant filii unius ejusdemque familiae. — Huc pertinet locus Ciceronis, qui in Orat. II tales homunculos notare videtur, dicens; „hos, quos video volitare in foro, quos ſtare ad curiam, quos etiam in ſenatum venire, *qui nitent unguentis, qui fulgent purpura*, mallem ſecum ſuos milites eduxiſſent etc.“

inter — decreta i. e. dum haec parabantur.

Cethegus — ſociorum. Hinc Cicero in Orat. III. „Hanc autem, inquit, Cethego cum ceteris controverſiam fuiſſe dixerunt, quod, cum Lentulo et ceteris Saturnalibus caedem fieri atque urbem incendi placeret, Cethego nimis id longum videretur.“

manu promtus ad agendum ſine longa deliberatione paratus: entſchloſſen.

Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Caſſio poſtulant jusjurandum, quod ſignatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli poſſe. Ceteri nihil ſuſpicantes dant: Caſſius ſemet eo brevi venturum pollicetur, ac paullo ante legatos ex urbe proficiſcitur. Lentulus [cum his] T. Volturcium quemdam Crotonienſem mittit; uti Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, ſocietatem confirmarent. Ipſe Volturcio litteras ad Catilinam dat, quarum exemplum infra ſcriptum:

Cap. XLIV. *per Gabinium cet. conveniunt.* Gabinium ad ceteros, tanquam internuntium, mittunt, uti quam maxime manifeſta illorum conſilia habeant.

jusjurandum h. n. ein eidliches (ſchriftlich abgefaſstes) Verſprechen, die Unterdrückten und Verſchuldeten retten zu wollen.

ad civis ſc. ad reliquos Allobroges.

Ceteri — dant Cic. in Orat. III. „Tabellas, inquit, proferri juſſimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum oſtendimus Cethego: ſignum cognovit; nos linum incidimus, legimus: erat ſcriptum ipſius manu: Allobrogum ſenatui, et populo ſeſe, quae eorum legatis confirmaſſet, eſſe facturum: ut item illi facerent, quae ſibi legati eorum praecepiſſent.“

Volturcio litteras ad Cat. dat. Cic. l. c. „Itaque, ut comperi, legatos Allobrogum belli Transalpini, et tumultus Gallici excitandi cauſa, a P. Lentulo eſſe ſollicitatos etc. comitemque iis adjunctum Volturcium, *atque huic datas eſſe ad Catilinam literas.*“

exemplum. Quod ad harum literarum *ſententiam* pertinet, conſentit cum Noſtro Cicero in Orat. III. in *verbis* autem discrepat exemplum ab illo ci-

Quis ſim, ex eo, quem ad te miſi, cognoſces. Fac cogites, in quanta calamitate ſis, et memineris te virum; conſideres, quid tuae rationes poſtulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.

Ad hoc mandata verbis dat: *Cum ab Senatu hoſtis judicatus ſit, quo conſilio ſervitia repudiet? in urbe parata eſſe, quae juſſerit: ne cunctetur ipſe propius accedere.*

CAPVT XLV.

[Allobrogum comitatus, juſſu conſulis, a praetoribus in ponte Milvio collocatis deprehenditur, ſimulque cum his Volturcius, cui Lentulus illam epiſtolam Catilinae perferendam tradiderat. Allobroges, conſilio Tullii cognito, ſine mora ſe tradunt.]

His rebus ita actis, conſtituta nocte, qua proficiſcerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomtino Praetoribus im-

tatum. Volturcius vero ſubito, inquit, proferri literas, atque aperiri juſſit, quas ſibi a Lentulo ad Catilinam datas eſſe dicebat. Atque ita vehementiſſimo perturbatus Lentulus tamen ſignum et manum ſuam cognovit; erant autem ſcriptae ſine nomine, ſed ita:

Qui ſim, ex eo, quem ad te miſi, cognoſces. Cura, ut vir ſis, et cogita, quem in locum ſis progreſſus, et vide, quid jam tibi ſit neceſſe: cura, ut omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum.

mandata verbis einen mündlichen Auftrag (zu fragen).

ſervitia repudiet ſervorum auxilio copiisque uti nolit?

CAP. XLV. *L. V. Flacco — imperat.* Conf.! locus in III Or. Ciceronis obvius: „Itaque heſterno die L. Flaccum et C. Pomtinum, praetores fortiſſimos atque amantiſſimos Reipublicae viros, ad me vocavi, rem omnem expoſui, quid fieri

perat, uti in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant: rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur: cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit. Homines milita-

placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de Rep. praeclara atque egregia sentirent, sine recusatione, ac sine ulla mora negotium susceperunt, et cum advesperasceret, occulte ad pontem Milvium pervenerunt, atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset etc.

in ponte Mulvio. Scribitur etiam *Milvio.* Neque tamen hic pons, quo junctus erat Tiberis, a Mulvio seu Milvio quodam, sed a M. Aemilio Scauro, Censore, factus fuit. Cur Milvius nominetur, nescimus.

ita agant, permittit. „Addunt codd. plurimi *illis.* Forsan hoc est adjectum ab interprete aliquo, cui nimis remotus videbatur Dativus antecedens. Minime vero mihi placet eorum sententia, qui post Gruterum voces *permittit illis* cum sequentibus conjungere voluerunt, quam probarem, si sequeretur: *qui occulte pontem obsiderent.* Antiquus quidam liber, quemadmodum refert Tollerus, eandem sequitur orationis juncturam, addito praeterea *et* ante *permittit;* quod mihi quidem non minus durum videtur. Nec etiam Telleri V. C. et Wassii lectionem probo, qui loco quodam huic simillimo (Cap. XCIX. in bell. Jugurth.) in quo itidem *illi* est post *permittit,* commoti, *illis* in *illi* mutarunt. Cur non potius *illis,* quod plurimorum codicum consensum prae se tulit, retinemus? Quae sequuntur verba: *homines militares,* nullo addito pronomine, referri possunt ad praetores, qui *homines militares* propterea nominantur, quod instructi erant militibus ad perficienda consulis mandata. Namque homo saepius dicitur pro *ille* e. g. valde hominem (pro illum) amo. Referri vero etiam possunt ad *milites,* quibus praefecti erant praetores, idque vero similius esset, nisi sequeretur: *sine tumultu praesidiis collocatis,* quae *militum* dispositio imperatorum est, non gregariorum.

Huc pertinent verba Ciceronis, qui: eodem autem, inquit, et ipsi sine cujusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt, et ego de praefectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera utor assidue in Reip. praesidio, cum gladiis miseram.

res, ſine tumultu praeſidiis collocatis, occulte pontem obſidunt. Poſtquam ad id loci legati cum Volturcio venere, et ſimul utrimque clamor exortus eſt; Galli, cito cognito conſilio, ſine mora praetoribus ſe tradunt. Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio ſe a multitudine defendit; dein, ubi a legatis deſertus eſt, multa prius de ſalute ſua Pomtinum obteſtatus, quod ei notus erat; poſtremo timidus, ac vitae diffidens, veluti hoſtibus, ſeſe Praetoribus dedit.

CAPVT XLVI.

[Cicero impenſe laetatus conjuratorum principes, ad ſe convocatos, in aedem concordiae venire, ibique, coram Senatu, Volturcium cum legatis ac Praetorem cum litteris, quas a legatis acceperat, comparere jubet. Coeparius fuga ſe abstulerat.]

Quibus rebus confectis omnia propere per nuncios Conſuli declarantur. At illum ingens

de ſalute ſua. Cum paulo poſt dicat, *vitae* diffidentem eum ſe Praetoribus tradidiſſe, intelligimus, quid *hic* ſit *de ſalute ſua obteſtari.* Petiit a Pomtino, ut vitae ſuae parceret. —

„Tertia fere vigilia, inquit Cicero, cum jam pontem cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unaque Volturcius, fit in eos impetus; educuntur et ab illis gladii et a noſtris; res erat praetoribus nota ſolis, ignorabatur a ceteris. Tum interventu Pomtini atque Flacci, pugna, quae erat commiſſa, ſedatur: litterae, quaecunque erant in eo comitatu, integris ſignis, praetoribus traduntur: ipſi comprehenſi ad me, cum jam diluceſceret, deducuntur.

cura atque laetitia ſimul occupavere. nam laetabatur, conjuratione patefacta, civitatem periculis ereptam eſſe: porro autem anxius erat, in maxumo ſcelere tantis civibus deprehenſis, quid facto opus; poenam illorum ſibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae credebat. Igitur confirmato animo vocari ad ſeſe jubet Lentulum, Cethegum Statilium, Gabinium, item Q. Coeparium quemdam Terracinenſem, qui in Apuliam ad concitanda ſervitia proficiſci parabat. Ceteri ſine mora veniunt: Coeparius paullo ante domo egreſſus, cognito indicio, [ex urbe] profugerat. Conſul Lentulum, quod praetor erat, ipſe manu tenens perducit: reliquos cum cuſtodibus

CAP. XLVI. *Laetabatur.* Quamvis libri ſcripti editique tantum non omnes adjiciant *intelligens*, tamen Cortius pro ingenii ſui acumine hanc vocem ejiciendam putabat; et favet huic conjecturae, quod, teſte Tellero, (in notis adverſ. Hiſpan.) praeter Codd. Eſcurr. principes etiam editt. de 1475. illud omiſere.

anxius erat — quid facto opus. Anxius erat, cum, quid facto opus eſſet, non ſtatim reperiret.

Igitur confirmato animo. Dubito aptam eſſe hanc verborum juncturam, cum antea dixerit: Ciceronem anxium fuiſſe, et quid faceret dubitaſſe. TANDEM puto aptius fuiſſe.

ad concitanda ſervitia ad ſervos in ſeditionem compellendos.

ex urbe. Optimo jure haec a Cortio ejecta verba retinuit Cl. Tellerus, ſine quibus obſcurior foret ſenſus. Supervacanea vero non eſſe eadem, ſatis probavit interpres modo laudatus, cum Salluſtius in bello Iugurthino Cap. IX. dixerit *victus* (Adherbal) *ex proelio* profugit, ubi facilius ſalvo ſenſu deeſſe poterat *ex proelio*, cum de pugna ibi ſermo fuiſſet.

in aedem Concordiae venire jubet. Eo Senatum advocat, magnaque frequentia ejus ordinis, Volturcium cum legatis introducit: Flaccum Praetorem ſcrinium cum litteris, quas a legatis acceperat, eodem adferre jubet.

CAPVT XLVII.

[Ibi patefactis omnibus, convictoque Lentulo, Senatus decernit, ut hic abdicato magiſtrato, item ceteri in liberis cuſtodiis haberentur.]

Volturcius interrogatus *de itinere, de litteris, poſtremo quid, aut qua de cauſſa conſilii habuiſſet?* primo fingere alia, diſſimulare de conjuratione; poſt ubi fide publica dicere juſſus eſt, omnia, uti geſta erant, aperit: *paucis*

Concordiae. Plures hujus Deae fuerunt Romae aedes, quarum primam M. Furius Camillus Dictator in Capitolio vovit et exſtruxit, in qua *Senaculum* erat, ubi Magiſtratus cum Senatoribus deliberabant.

Flaccum Praetorem etc. Hinc ipſe Conſul in oratione pro Val. Flacco: Cum ego te, inquit, Flacce, coelum noctemque conteſtans, flens flentem obteſtabar, cum tuae fidei optimae et ſpectatiſſimae ſalutem urbis et civium commendabam: tu, tu, Flacce Praetor, communis exitii nuncios cepiſti; tu incluſum in literis Reip. peſtem deprehendiſti, tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, et ad Senatum attuliſti.

Cap. XLVII. *fingere alia* alium itineris et literarum finem.

ubi fide publica etc. Poſtquam Conſul impunitatem fidemque publicam (Schutz von Seiten der Republik) ei pollicitus eſſet, veraque dicere eum juſſiſſet. Forſan autem *fide publica dicere* idem *eſſe* putabunt nonnulli, quod *jurejurando dicta confirmare.* Hos refellit Cicero loco, quem jam ſum citaturus.

ante diebus a Gabinio et Coepario socium adscitum, nihil amplius scire, quam legatos: tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Varguntejum, multos praeterea in ea conjuratione esse. Eadem Galli fatentur: ac Lentulum dissimulantem coarguunt, praeter litteras, sermonibus, quos habere solitus: *Ex libris Sibyllinis*

audire solitum: saepius audivisse. Hanc rem ita refert Cicero: Introduxi Volturcium sine Gallis: fidem ei publicam dedi jussu senatus; hortatus sum, ut ea, quae sciret, sine timore indicaret. Tum ille dixit, cum vix se ex magno timore recreasset, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata, et litteras, ut servorum praesidio uteretur, et ad urbem quam primum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, cum urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent, caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset illi, qui et fugientes exciperet, et se cum his urbanis ducibus conjungeret. — Conferenda est lectoribus prima aeque ac tertia Cic. in Cat. oratio, quae ambae fidem historici nostri abunde probant. Non possum quin haec addam: „Introducti (inquit Cicero) Galli jusjurandum et literas a P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt: atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent; pedestres sibi copias non defuturas."

„Cum illi (Lentulo legati Allobr.) breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent, quaesissentque ab eo, *nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus:* tum subito ille scelere demens, quanta vis conscientiae esset, ostendit: nam, cum id posset infitiari, repente praeter opinionem omnium confessus est."

libris Sibyllinis. A Sibylla, hoc est a vate quadam muliere (nam decem Sibyllae fuisse dicuntur) maximo pretio *Tarquinius* aut *Priscus*, aut *Superbus* tres libros Sibyllinos, cum novem eodem pretio habere potuisset, emit, quod cum vel tironibus notum sit, nolo fusius narrare. Haec autem, quae ad horum librorum historiam pertinent, non omit-

regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea: se tertium, cui fatum foret urbis potiri: praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum

tam: „Tarquinius tres hosce libros in Capitolio religiosissime adservari jussit. Dein Tarquin. Duumviros creavit ex numero nobilium, hisque addidit duos ministros publicos, et per hos custodiri libros voluit. Expulsis postea regibus, librorum Sibyllinorum cura ad populum devenit: is nobilissimos custodes eorum creavit, qui per totum vitae tempus fungerentur eo munere, liberi alioqui ab omnibus militaribus atque civilibus muniis, nec sine his cuiquam licuit eos inspicere. Et nullam rem, ne sacra quidem, Romani tam diligenter, quam Sibyllinos libros, custodiunt. Vtuntur autem eis ex S. C., si quando seditionibus turbatur status Reipubl. aut in bello insignis aliqua clades accepta est, aut prodigia quaedam dubia, magnumque aliquod portendentia, nunciata sunt. Hi libri manserunt incolumes usque ad bellum Marsicum, in templi Capitolini cella subterranea, inclusi arcae lapideae, adservati a Decemviris: dein cremato Capitolio, sive de industria, ut quidam existimant, sive fortuito incendio, hi igne absumti sunt."

Cinnam atque Sullam. Vtrique nomina erant *Luc. Corn.*

antea sc. ante se vixisse, urbisque potitos esse.

Narrationis hujus veritas confirmatur Plutarchi testimonio, qui in vit. Cic. haec refert. Hunc (C. Lentulum) tali ingenio praeditum, et a Catilina excitatum, insuper vana spe, et confictis vaticinationibus, impostores quidam et praestigiatores perdebant, oracula ementita pro Sibyllinis verbis cantantes, quibus indicaretur: in fatis esse, uti tres Cornelii Romae omnium domini essent: ex his duos, Cinnam et Sullam, explevisse jam fatum: tertium esse hunc Cornelium; ei divinitus dominationem offerri.

Eadem fere testatur Cicero in Orat. III. qui addit, eundem (sc. Lentulum) dixisse, fatalem hunc esse annum (hujus) urbis atque imperii; qui esset decimus annus post virginum absolutionem, post Ca-

fore. Igitur perlectis litteris, cum prius omnes ſigna ſua cognoviſſent, Senatus decernit, *uti abdicato magiſtratu Lentulus, item ceteri in liberis cuſtodiis haberentur.* Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caeſari, Gabinius M. Craſſo, Coeparius (nam is paullo ante ex fuga retractus) Cn. Terentio ſenatori traduntur.

CAPVT XLVIII.

[Mutata mente plebs Catilinam exſecratur, Ciceronem laudibus extollit. Quae Volturcius edixerat, confirmantur poſtea teſtimónio L. Tarquinii. Sed ubi hic Craſſum quoque in conjuratis nominat, pro falſo indice habetur.]

Interea plebes, conjuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum, nimis bello favebat, mutata mente, Catilinae conſilia exſecrari,

pitolii autem incenſionem viceſimus.

abdicato magiſtratu. Cort. leg. *abdicatus magiſtratu.* Vtrumque convenit Romanae linguae ingenio. Nam et *abdicare magiſtratum* et *abdicare ſe vel alium magiſtratu* dicitur. Si major codicum conſenſus Cortii lectionem defenderet, hanc equidem praeferrem. Nam ſi dicimus *abdicatus magiſtratu* facilius intelligitur, demtum ei eſſe magiſtratum, non ſponte depoſitum ab ipſo. Tellerus in libro edito 1495. legit mira varietate: *ut abdicatus eſſet a magiſtratu.*

In liberis cuſtodiis id eſt, in cuſtodiis eorum, qui nondum damnati et ex genere nobiliori erant oriundi.

Cap. XLVIII. *Interea plebes* etc. Conferendus eſt hic locus cum Cap. XXXVII. in. ubi dixit: „omnino cuncta plebes novarum rerum ſtudio Catilinae incepta probabat.“

Ciceronem ad coelum tollere; veluti ex ſervitute erepta gaudium atque laetitiam agitabant. Namque alia belli facinora praedae magis, quam detrimento; incendium vero crudele, immoderatum, ac ſibi maxume calamitoſum putabat; quippe cui omnes copiae in uſu quotidiano et cultu corporis erant. Poſt eum diem quidam L. Tarquinius ad Senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiſcentem ex itinere retractum ajebant. Is cum ſe diceret indicaturum de conjuratione, ſi fides publica data eſſet; juſſus a Conſule, quae ſciret, edicere, eadem fere, quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hoſtium Senatum edocet: praeterea *ſe miſſum a M. Craſſo, qui Catilinae nunciaret, ne Lentulus, Cethegus, alii ex conjuratione deprehenſi terrerent; eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur.* Sed ubi Tarquinius Craſſum nominavit,

agitabant. Similis erat verborum junctura Cap. XXXVII. ubi: juventus, inquit, urbanum otium ingrato labori praetulerant.

praedae magis, quam detrimento praedam potius quam detrimentum ſibi allatura eſſe putabat.

uſu quotidiano et c. c. in den Bedürfniſſen und der Pflege des Körpers.

ne — terrerent ſc. Catilinam; ne territus infortunio horum, qui in liberis cuſtodiis tenerentur, ad urbem accedere dubitaret.

Sed ubi T. Craſſum nominat cfr. Cap. XVII. ubi: „Fuere item, inquit, ea tempeſtate,

hominem nobilem, maxumis divitiis, ſumma potentia; alii, rem incredibilem rati; pars, tamen etſi verum exiſtumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis leniunda, quam exagitanda videbatur; plerique Craſſo ex negotiis privatis obnoxii conclamant, *indicem falſum*, deque ea re poſtulant uti referatur. Itaque conſulente Cicerone frequens Senatus decernit: *Tarquinii indicium falſum videri; eumque in*

qui crederent M. Lic. Craſſum non ignarum ejus conſilii fuiſſe." — Huc faciunt Plutarchi verba in vit. Cic. qui: Conjurationis, inquit, quae, Catilina auctore coepta, omnem paene funditus evertit rempublicam, conſcium atque participem fuiſſe Craſſum, non parva ſuſpicio fuit: nam ex conjuratis quidam magna voce Craſſum compellans auditus eſt: attamen nemo ejus verbis fidem habuit. Et ipſe quidem Cicero in quadam oratione haud obſcure Craſſum, et Caeſarem ejus ſeditionis reos facit: ſed ea poſt utriusque mortem edita eſt.

tamen etc. ſc. rem incredibilem eſſe dicebant. Non enim conjungendam puto hanc vocem cum verbo conclamant, quod refero ad *plerique*. Diſtinguit Noſter inter eos, qui rem falſam eſſe ſibi perſuadebant, et inter eos, qui nolebant fateri veram eſſe, quamvis putarent.

tali tempore in tanta Reip. miſeria.

tanta vis hominis vir tanta praeditus poteſtate.

leniunda, quam exagitanda: int. *potius quam* etc. In Cap. IX. ſimilis eſt locus, ubi: in pace, inquit, quod beneficiis, quam metu, imperium agitabant. Fugienda tamen eſt haec in loquendo negligentia.

ex negot. privatis obnoxii quos pecunia vel mutuo data, vel gratis ſuppeditata, vel aliis officiis, ſibi obſtrinxerat. Ex quo videmus, quantum detrimenti vel in omnem Rempublicam redundet nonnunquam e paupertate eorum, qui opulentioribus devincti ſunt. — Craſſi tantae erant divitiae, ut negaſſe dicatur eum eſſe divitem, qui ſuis ſumtibus exercitum alere non poſſet.

vinculis retinendum; neque amplius poteſtatem faciundam, niſi de eo indicaret, cujus conſilio tantam rem mentitus eſſet. Erant eo tempore, qui aeſtumarent, illud a P. Autronio machinatum, quo facilius, adpellato Craſſo, per ſocietatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone immiſſum ajebant, ne Craſſus, more ſuo, ſuscepto malorum patrocinio rempublicam conturbaret. Ipſum Craſſum ego poſtea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam ſibi ab Cicerone impoſitam.

CAPVT XLIX.

[Q. Catulus et C. Piſo fruſtra Ciceronem, a quo contumeliam iſtam Craſſo impoſitam putat Noſter, impellunt, ut Cajum Caeſarem falſo accuſaret. Tantam vero illi homines Caeſari invidiam mendaciis conflaverant, ut vitae discrimen vix effugeret. Hujus odii cauſae exponuntur.]

poteſtatem faciundam ſc. indicandi de conjuratione.

adpellato Craſſo ſc. in numero conjuratorum.

immiſſum i. e. ſubornatum contra Craſſum. A canibus, qui in feras immittuntur, ad homines translatum eſt verbum.

more ſuo. Meminerint lectores, Rempublicam Romanam Pompeji, Craſſi, et Caeſaris auctoritate aliquot annos adminiſtratam eſſe. Fuiſſe inter Craſſum et Ciceronem inimicitiam, Plutarchus quoque retulit, ejusque cauſam quaerendam eſſe in eo, quod ille quendam ex conjuratis a Cicerone ſubornatum eſſe putarit, qui Craſſum inter conjuratos nominaret. Publius autem, Craſſi filius, philoſophiae ſtudioſiſſimus, impedimento fuit, quo minus palam ulciſceretur conſulis injuriam.

Sed isdem temporibus Q. Catulus et C. Piſo neque gratia, neque precibus, neque pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges, aut alium indicem C. Caeſar falſo nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant: Piſo obpugnatus in judicio repetundarum, propter cujusdam Transpadani ſupplicium injuſtum: Catulus ex petitione

Cap. XLIX. *Sed.* Acute obſervavit Dahlius, hac particula Noſtrum quaſi ad excuſandum Ciceronem uſum eſſe.

C. Piſo Calpurnius gentis nomine dictus, qui Conſulatum geſſerat A. 686. et poſtea Proconſulis in Gallia locum obtinebat.

nominaretur. Nominatum eſſe inter conjuratos in Senatu Caeſarem, Suetonius refert in I. C. C. XVII. Gratum erit legentibus, omnem Suetonii locum hic inſertum videre. Recidit, inquit, (Caeſar) rurſus in discrimen aliud, inter ſocios Catilinae nominatus, et apud Novium Nigrum Quaeſtorem a L. Vettio, et in Senatu a Q. Curio: cui, quod primus conſilia conjuratorum detexerat, conſtituta erant publice praemia. Curius e Catilina ſe cognoviſſe dicebat: Vettius etiam chirographum ejus, Catilinae datum, pollicebatur. Id vero Caeſar nullo modo tolerandum exiſtimans, cum, implorato Ciceronis teſtimonio, quaedam ſe de conjuratione ultro ad eum detuliſſe docuiſſet, ne Curio praemia darentur, effecit.

in judicio repetundarum, propter etc. h. e. quum Transpadanus quidam, injuſte ab eo mulctatus, pecuniam ſuam repeteret. Ceterum Piſo, a Cicerone defenſus, abſolutus eſt. Cfr. Or. pro Flacco c. 39.

ex petitione etc. ex quo tempore una cum Caeſare conſulatum petierat. Nam Metello, Pontifice Maximo, vita defuncto, inquit Plutarchus, cum Pontificatum Iſauricus et Catulus, clariſſimi viri, et in Senatu principes, peterent, nihil territus Caeſar ipſe quoque idem ambiit. Quod eo magis mirere, quum illi et aetate et meritis Caeſari multo praeſtarent. Sed Caeſar, largitionibus plebe corrupta, adeo multos ſibi adſeclas conciliaverat, ut Catulus ipſe, timens, ne ille palmam ſibi praeriperet, per amicos eum, oblata ſimul grandi pecunia, rogaret, ut deſiſte-

Pontificatus odio incensus, quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adolescentulo Caesare victus discesserat. Res autem opportuna videbatur; quod privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi Consulem ad tantum facinus

ret. Caesar autem non id tantum negavit, sed majorem etiam pecuniae vim se mutuatum respondit, quo facilius illum honorem adipisceretur. Cui cum omnia prospere cessissent (vid. Suet. Caes. C. 13.) Catulus vehementer iratus hac data occasione injuriam ulcisci studebat.

ab adolesc. Caesare, qui tum, triginta sex annos natus, a legitimo, quem Romulus constituerat, aetatis anno, nempe quinquagesimo, longe aberat, et cum Catulo comparatus adolescens videri potuit. Quaesturam tamen et aedilitatem gesserat. Ludorum et conviviorum magnificentia, et immodico in publica aedificia sumtu, reliquos Aediles omnes superaverat. Vid. Plut. Caes. Cap. V. Suet. C. 10.

Res a. opportuna videbatur etc. Idoneam nacti sibi videbantur occasionem accusandi et inter conjuratos nominandi Caesaris, quia hic, dum privatim egregia liberalitate erga singulos erat, publice grandem debebat pecuniam.

grandem pecuniam debebat. Nam, Plutarcho teste, antequam rempublicam capesseret, mille ac trecenta debuit talenta, nec a creditoribus impetrare potuit, ut, quum Propraetor in Hispaniam proficisci vellet, abeundi veniam darent, nisi Crasso intercedente, qui DCCCXXX. talenta pro illo se numeraturum promisit.

ad tantum facinus etc. Non tamen prorsus injustam fuisse adversariorum suspicionem, vel propterea credibile est, quod Caesar illius conjurationis, cujus Cap. XVIII. mentio facta est, particeps fuerat. Sed Ciceronis, qui hominem plebi carissimum accusare non auderet, timiditati potius quam amicitiae lenitatique tribuendum videtur, quod impelli nequivit ad Caesaris accusationem. Nam cum hic paulo post in Senatu, delendae suspicionis causa, verba faciens motum turbulentiorem cieret, magnus repente plebis ad curiam concursus factus est, vehementerque flagitavit, ut Caesar omni culpa liberaretur. Quae quidem seditio adeo terribilis visa est, ut ipse Cato,

impellere nequeunt, ipſi ſingulatim circumeundo, atque ementiundo, quae ſe ex Volturcio, aut Allobrogibus audiſſe dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque eo, ut nonnulli equites Romani, qui praeſidii cauſſa cum telis erant circum Concordiae, ſeu periculi magnitudine, ſeu animi nobilitate impulſi, quo ſtudium ſuum in rempublicam clarius eſſet, egredienti ex Senatu Caeſari gladio minitarentur.

CAPVT L.

[Capitt. 50. 51. 52. Quum Lentulum, in vincula conjectum, pauci ex clientibus liberare tentarent, et Cethego duce resp. turbaretur, Conſul, diſpoſitis praeſidiis, ad Senatum refert, quid de reis in carcerem ductis fieri cenſeat. Variae ſenatorum deinceps rogatorum — *D. Iun. Silani*, *Tib. Neronis* (46), *Caji Caeſaris* (47), *M. Porcii Catonis* (48) ſententiae partim brevibus verbis, aliae ſermone longiori, ab ipſis auctoribus C. et C. habito, enarrantur. Durior fuerat primo Silani ſententia, ſed eam retractabat auctor, Neronis exemplum ſequutus, ac Cae-

ſedandae ſibique conciliandae plebis gratia, ſingulis menſibus aliquantum frumenti diſtribuendum cenſeret. — Sed inſequenti anno, quum L. Vettius eques, et Q. Curius, ille conjurationis proditor, Caeſarem in conjuratis nominaſſent, ille ad Conſulem provocavit, ab eoque defenſus eſt. Vid. Plut. V. C. c. 8. Caton. min. Cap. XXVI. et Suet. Caeſ. Cap. XVII. *facinus* h. l. eſt facinus ſceleſtum.

quo — eſſet. Haec verba, uti rectiſſime judicat Cl. Tellerus, poſtulant *nobilitate* in antecedentibus, rejicique jubent *mobilitate*, quod erat in quibusdam codicibus.

ſaris, qui leniter agendum cenſuerat, auctoritate permotus. Triplex igitur lata erat ſententia,

a) Silani et T. Neronis: „de omni re, praeſidiis additis, referendum;

b) C. Caeſaris: publicandas conjuratorum pecunias, ipſos in vinculis habendos per municipia, quae maxime opibus valerent;

c) M. P. Catonis: de confeſſis, ſicuti de manifeſtis rerum capitalium, more majorum ſupplicium ſumendum. *)]

Cap. L. *) Accuratius harum ſententiarum ordinem temporumque rationem conſtituit Dahlius, Plutarchum (Vit. Cic. XX. XXI. Iul. Caeſar. VII. VIII. Cat. M. 22.) Suetonium (Caeſ. 14) et Appianum (de C. civ. II. 5. 6.) ſequutus, isque rem ita refert: Quum Silanus cenſuiſſet, ſupplicium ultimum de reis ſumendum eſſe, compluresque ejus ſententiam comprobaſſent, Tib. Claud. Nero (imperatoris crudeliſſimi avus) ſolus reſtitit, et captivos, donec Catilina victus eſſet, in vinculis retinendos eſſe duxit, quo diligentius olim cauſa eorum poſſet examinari. Tum I. Caeſar, qui eo tempore praetor deſignatus erat, ſententiam rogatus, orationem Cap. ſequ. ſubjunctam habuit, qua ſpecioſis uſus argumentis mortis poenam disſuaſit. Ita factum eſt, ut plurimi ſenatores Caeſaris ſententiam, tanquam plebis ſcitum intuentes, eamque Ciceroni minus periculoſam fore arbitrati, haeſitantes Conſulem adſpicerent, et ab ejus quaſi nutu penderent. Tum vero Cicero quartam illam, quae adhuc ſupereſt, orationem Catilinariam recitare coepit, Silani Caeſarisque ſententias diligenter examinavit, negavitque in tali cauſa commiſerationi locum eſſe, additis precibus, ne publicam ſalutem negligerent, ſed in poena decernenda reip. tantum, non Conſulis rationem haberent. Neque animum, neque opes ſibi deeſſe ad perficienda quae Senatus decreviſſet. Quae verba, etſi quid fieri vellet, ſatis innuerent, plerique tamen (ne fratre quidem Ciceronis excepto) in Caeſaris partes abierunt; Silanus etiam ipſe ſuam ſententiam leniori interpretatione retractabat, praefatus cuſtodiam (captivitatem) non capitis poenam ſe intellexiſſe, et Neroni adſentiebatur. Sed Luctatius Catulus ſenex, Caeſari inimicus, a reliquis disſentiebat, et paulo poſt Cato, Tr. pl. deſignatus, gravem il-

Dum haec in Senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur: liberti, et pauci ex clientibus Lentuli, diversis itineribus, opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rempublicam vexare soliti. Cethegus autem per nuncios familiam atque libertos suos, exercitatos in audaciam, orabat, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato

Iam, quum interrogatus esset, orationem habuit, cujus exemplum infra legimus, eaque effecit, ut omnes ac singuli consilio mutato supplicium sumendum censerent. Splendidissimum profecto eloquentiae documentum edidit uterque, sed in Catonis oratione majus est argumentorum pondus, et vivida severi atque incorrupti hominis effigies.

praemia decernuntur. „Pridie Nonas Decembres, ut e Cicerone patet; tertio enim Nonas conjurati deprehensi et in custodiam traditi sunt. pridie Nonas indicibus praemia decreta sunt: Nonis vero conjurati supplicio affecti. Nam in Orat. IV. in Catilinam: postremo, inquit, hesterno die praemia legatis Allobrogum Titoque Volturcio dedistis amplissima, quae sunt omnia ejusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a Vobis damnati esse videantur.

pauci ex clientibus Lentuli quorum opera patroni, quotiescunque necessitudinibus circumventi essent, utebantur. Quanto studio sollicitaverint artifices, intelligas e Ciceronis Or. IV. C. 8.

ad eum eripiendum ad Lentulum vi e custodia liberandum.

familiam etc. Servos et qui fuerant in servitio.

convocato Senatu in templo Iovis Statoris d. V. Dec.

Senatu refert, QVID DE HIS FIERI PLACEAT, QVI IN CVSTODIAM TRADITI ERANT. Sed eos paullo ante frequens Senatus judicaverat: CONTRA REMPVBLICAM FECISSE. Tum D. Iunius Silanus, primus ſententiam rogatus, quod eo tempore Conſul deſignatus erat, de his, qui in cuſtodiis tenebantur, praeterea de L. Caſſio, P. Furio, P. Vmbreno, Q. Annio, ſi deprehenſi forent, ſupplicium ſumendum decreverat. isque poſtea, permotus

refert. *Referre* dicuntur, verbo ſolemni, qui in ſenatu aliquid proponunt, de quo deliberetur; interdum etiam, uti hic, eſt *interrogare.* Germanice pro diverſo orationis contextu verti poteſt vel: einen Vortrag, Antrag, Vorſchlag thun, vel etiam: anfragen. Referendi autem jus non iis tantum magiſtratibus, qui Senatum habebant, ſed omnibus, qui jure ſuo Senatum convocare poterant, competebat. Plura, quae huc pertinent, vid. apud Nieuport Sect. I. C. II. §. 5. p. m. 33.

„Sed ego, inquit Cic. in l. a. c., inſtitui referre ad Vos, P. C. tanquam integrum, et de facto quid judicetis, et de poena quid cenſeatis etc."

frequens Senatus, frequens Senatorum numerus.

„Nullum S. C. fieri potuit, niſi legitimus adeſſet Senatorum numerus; quis vero ille fuerit, non ſatis conſtat." Nieup. p. 30.

contra remp. feciſſe. Haec erat formula ſolemnis, qua utebantur, ſi civem Rom. proditionis reum ſupplicio puniendum cenſebant.

D. Iun. Silanus qui Catonis ſororem Serviliam in matrimonium duxerat. Vid. Plut. in Vita Cat. min. C. 21.

quod eo tempore — erat. Olim *fere* ſervabatur, inquit Nieupoort p. 31. S. I. C. II. §. 5, ut primus ſententiam rogaretur princeps Senatus, et, ſi poſt comitia conſularia Senatus haberetur, Conſul deſignatus: et hoc merito, ut nempe cautius et circumſpectius cenſeret, quia executio decretorum Senatus facile, et plerumque, ſe in eorum conſulatum extenderet."

ſi deprehenſi forent i. e. ſi detectum foret, eos conjurationis ſocios fuiſſe.

Supplicium ſum. decr. morte mulctandos eſſe eos: quae mors violenta, propterea quod

oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se dixerat; quod de ea re, praesidiis additis, referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum, rogatus sententiam a Consule, hujuscemodi verba locutus est.

CAPVT LI.

Omnis homines, Patres Conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa obsiciunt. neque quisquam omnium

genibus pronis, s. *supplices*, ea puniebantur capitis damnati, supplicium κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur.

pedibus — iturum. In magno Senatorum numero cum longum esset audire singulos, trium vel quatuor virorum sententia dicta, reliqui in ejus partem, cujus sententiam probabant, solebant discedere, quo facilius e cujusque frequentia videre possent, quid plurimis esset probatum. Hinc *pedibus in sententiam alicujus ire* nihil aliud est quam *probare alic. sent.*, et qui non ipsi dicebant sententiam, sed ab alio dictam comprobabant, hi *Senatores pedarii* vocabantur.

censuerat sc. Tib. Nero.

locutus est. „Video, inquit Cic. duas adhuc esse sententias: unam Decii Silani,, qui censet, eos, qui haec delere conati sunt, morte esse multandos: alteram C. Caesaris, qui mortis poenam removet, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur.

Cap. LI. *ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet.* Paucis haec enunciat in bell. Iugurth. C. LX. „a cupidine atque ira, pessimis consultoribus.“ Tell. In hoc orationis exordio Sallust. Demosthenem imitatus esse videtur, cujus verba in Or. περι του εν χερσονησῳ hisce simillima adjungo: Ἐδη μεν τους λεγοντας ἁπαντας ἐν ὑμιν μητε προς εχθραν ποιεισθαι λογον μηδενα, μητε προς χαριν.

lubidini ſimul et uſui paruit. Vbi intenderis ingenium, valet: ſi lubido poſſidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia memorandi, P. C. qui reges atque populi, ira, aut miſericordia impulſi, male conſuluerint: ſed ea malo dicere, quae majores noſtri, contra lubidinem animi, recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perſe geſſimus, Rhodiorum

paruit — conſuluit. Nemo eodem tempore lubidini ſatisfecit et veris commodis inſervivit.

Vbi intend. ingenium. Ingenium h. l. eſt, quod paulo poſt: *animus* h. e. judicandi remque conſiderandi facultas. Oppoſita ſibi invicem ſunt *ubi* et *ſi*, *ingenium* et *lubido*, *intenderis* et *poſſidet*, *valet* et *dominatur.* Vertendum: Wenn man die Geiſteskräfte anſtrengt, ſo wirken ſie mit Uebermacht (über die Sinnlichkeit); wenn aber Leidenſchaft den Menſchen feſſelt, ſo iſt dieſe die Gebieterin, und die Vernunft ohnmächtige Sclavin.

poſſidet ſc. hominem, vel mentem. Nollem imitari hanc in dicendo negligentiam.

Magna — memorandi. Multa regum atque populorum exempla vobis memorare poſſem.

recte atque ordine fecere. Opponuntur haec verba antecedentibus: *male conſuluerint,* ſignificantque nihil aliud, quam quod alias: *e republica facere.* Senatorium dictum fuiſſe obſervat Tellerus V. Cl. cujus contrarium fuerit: *contra remp. facere.* Senſum bene reddidit Schlueterus: „Aber lieber will ich das anführen, was unſre Vorfahren gegen Antrieb der Leidenſchaft nach Recht und Billigkeit thaten."

Bello Macedonico — ſecundo ſc. quod A. V. 583 coeptum et triennio finitum eſt, quum L. Aemilius Paulus, Coſ. fortiſſimus, hoſtes ad urbem Pydnam viciſſet, quo facto Macedonia in formam provinciae redacta eſt. Vid. Liv. XLII. XL. Cap. 41 — 45. et Plut. in Vita Aemilii.

Perſe: qui a L. Paulo Aemilio devictus, et in acie captus, ductus eſt in triumphum Romam cum liberis, periitque in carcere, moerore animi confectus.

Rhodiorum civitas, cujus incolae manu fortes, belloque

civitas, magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit: sed postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est, majores nostri, ne quis divitiarum magis, quam injuriae caussa bellum inceptum diceret, impunitos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, cum saepe Carthaginienses et in pace, et per inducias multa nefaria facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia

maritimo adsueti antea Romanis dediti fuerant. Nam Vell. Pat. I. 9. ait: Rhodii, fidelissimi ante Romanis, tum dubia fide, speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt. "

quae populi Romani opibus creverat. Lyciam nempe atque Cariam, quas provincias Romani Antiocho, Syriae regi, (A. 561. sequ.) eripuerant — Rhodiis praemii loco concesserant victores.

infida atque advorsa etc. Hunc locum illustrat A. Gellius Noct. Att. VII. 3.

impunitos dimisere bellum Rhodiis non intulere. Cfr. Liv. XLV. C. 20 — 25 qui narrat, Rhodiorum legatis, devicto Perseo pacem petentibus, quum supplices Romam venissent, responsum esse his verbis: „ut nec hostes fierent, nec socii permanerent," sed provincias olim dono datas ipsis ereptas esse. (Omnis Livii locus conferendus est.) — Acerbiorem vindictam sumserunt Romani de Epirotis, teste Plutarcho. Nam Aemilio revertenti permiserunt, ut Epiri urbes diripiendas militibus traderet; itaque septuaginta urbes et vicos delevit et CL. millia hominum in servitutem vendidit. — Quo magis mirum est, vel Caesarem, vel Sallustium, insatiabiles illos praedatores, qui Carthaginiensibus summam injuriam intulerant, laudibus extollere potuisse.

multa nefaria facinora. Foedifragos fuisse Carthaginienses arguit proverbium: punica fides. Conf. de facinoribus quae narrantur a Livio Lib. X. Negari tamen nequit, Romanos etiam fideles se Carthaginiensibus non praestitisse.

per occasionem, bey Gelegenheit, data occasione.

fecere: magis, quid se dignum foret, quam quid in illis jure fieri posset, quaerebant. Hoc idem providendum est, Patres conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli et ceterorum scelus, quam vestra dignitas; neu magis irae, quam famae consulatis. Nam si digna poena pro factis eorum reperitur, novum consilium adprobo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat; iis utendum censeo, quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum reipublicae miserati sunt: quae belli saevi-

in illis pro vulgari *in illos* recte retinendum censent *Tell.* aliique. Nam ita Ablat. pro Acc. saepius usurpatur.

vestra dignitas das Gefühl eurer Würde.

neu — consulatis neque magis id studeatis, ut Vestrae ulciscendi cupiditati satisfiat, quam ut fama vel gloria augeatur.

novum consilium adpr. Recedendum esse puto a more majorum, secundum quem non licitum est, morte civem Romanum mulctare. Sin igitur vos ullam poenam tantam esse putatis, qua illi adficiantur (h. e. nisi minor sit tanto scelere quaelibet poena) *novo* utamini in eos supplicio.

sin — exsuperat i. e. sin reperiri nequit digna tantis facinoribus poena.

quae leg. comp. sunt in custodiis tenendos esse cives.

composite h. e. oratione, cujus singulae partes ita bene dispositae erant, ut omnia luculenta fierent.

composite atque magnifice in einem wohlgeordneten und würdigen Vortrage.

miserati sunt. In primis statum reip. miseratus est Cicero in orat. IV. in Cat. qui: Videor enim, inquit, mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium: versatur mihi ante oculos adspe-

tia, quae victis acciderent, enumeravere. rapi virgines, pueros: divelli liberos a parentium complexu: matres familiarum pati, quae victoribus collibuissent: fana atque domos exspoliari; caedem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per Deos immortalis, quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos conjurationi faceret? scilicet quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est: neque cuiquam mortalium injuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo habuere. Sed aliis alia licentia, Patres conscripti. qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna pares sunt: qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum

ctus Cethegi, et furor in vestra caede bacchantis etc. Legendus est omnis hic locus ab iis, qui puram venustamque orationem amant.

scilicet ironice, uti saepe utuntur hac voce Romani, cum ridiculam aliquam rem volunt significare. Ita Virg. „scilicet is superis labor est."

Sed aliis alia licentia. Quamvis nemo mortalium injurias sibi illatas parvi aestimet, tamen quod aliis licitum est, non item licet aliis, hoc est, ut e sequ. patet, quae ignoti et obscuri homines peragunt, quorum facinora minus observantur ab aliis, ea non licita sunt claris et nobilibus viris. Hi potius temperare sibi debent, quo melius suae famae consulant.

fama atque fort. pares s. aeque parva est horum fama atque fortuna.

facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minuma licentia est. neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. quae apud alios iracundia dicitur, in imperio superbia atque crudelitas adpellatur. Equidem ego sic aestumo, Patres conscripti, omnis cruciatus minores, quam facinora illorum esse. sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris obliti de poena disserunt, si ea paullo severior fuit. D. Silanum virum fortem atque strenuum, certe scio, quae dixerit, studio reipublicae dixisse, neque illum in tanta re

in maxuma — est. Praeclare dicta et optimatum memoriae diligenter mandanda. Quo major est, inquit, hominum fortuna, opulentia et potestas, eo minor eorundem licentia, ne alios suo exemplo offendant. Contulit hunc locum Cl. Tellerus cum simili quodam Plinii dicto Paneg. 83. „magna fortuna nihil tectum, nihil occultum esse patitur.“ Et Iuvenalis: omne, inquit, animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

studere, partibus *fave e.*

irasci vehementiorem quamlibet animi cupiditatem, non iracundiam tantum, hoc verbo significari facile intelliges ex oppositis.

sup. atque crudelitas. Quare optandum est, inquit Cicero, ut ii, qui praesunt Reip., legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur. Offic. Lib. I.

Equidem ego. Mira et vix toleranda videretur harum vocum combinatio, si *equidem* compositum esset ex ego et quidem. Sed non ita nunc mihi videtur. Nam Cic. in ep. ad Att. XIII. 26. scripsit: equidem credibile non est. Et Noster infra: *possumus equidem.*

postrema quae postremo acciderunt. Poenae igitur, non sceleris, meminerunt plerique.

studio reipubl. amore reip. ductum.

gratiam, aut inimicitias exercere. eos mores, eam modeſtiam viri cognovi. Verum ſententia non mihi crudelis, quid enim in talis homines crudele fieri poteſt? ſed aliena a republica noſtra videtur. Nam profecto aut metus, aut injuria te ſubegit, Silane, Conſulem deſignatum, genus poenae novum decernere. De timore ſupervacaneum eſt disſerere, cum praeſenti diligentia clariſſumi viri Conſulis tanta praeſidia ſint in armis. De poena poſſumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miſeriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum eſſe; eam cuncta mortalium mala disſolvere; ultra neque curae neque gaudio locum

gratiam Vorliebe für irgend eine Parthey.

modeſtiam. Modeſtus h. l. eſt is, qui moderari libidinem, ſeu cupiditati ſatis temperare ſolet, nec gratia, neque inimicitiis ductus.

injuria h. n. gravitas delicti conjuratorum.

genus p. nov. idem hic eſt, quod ſupra: novum conſilium. *Nova* enim poena dicitur, quia reſpicit ad legem Porciam, qua vetitum erat hujuscemodi ſupplicium.

ſupervacan. e. disſ. Non eſt, quod a conjuratis amplius tibi timeas.

praeſenti ad patriam defendendam ſemper promta diligentia. Poſſet etiam *praeſ. diligentia Conſ.* dici pro *diligentia Coſ. praeſentis.*

clariſſumi viri „honoris praenomen, quo coram Coſ. uti ſolebant Senatores.“

in luctu — requiem eſſe; ei, qui vitam in luctu et miſeriis agit etc.

ultra poſt mortem. —

Impiam hanc ſententiam non a Salluſtio fictam, ſed a Caeſare prolatam eſſe (ſive hic perſuaſum ſibi habuerit, animam cum corpore interituram eſſe, ſive ſimulaverit, quo facilius conjuratos a morte liberaret), intelligitur ex his Ci-

esse. Sed per deos immortalis, quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an, quia lex Porcia vetat? at aliae leges item condemnatis civibus animam non eripi, sed in exsilium permitti jubent. An, quia gravius est verberari, quam necari? quid autem acerbum, aut grave nimis in homines tanti facinoris convictos? Sin quia levius; qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in majore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipu-

ceronis verbis: „Alter (Caesar nempe) intelligit, mortem a Diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae, aut *laborum ac miseriarum* quietem: itaque eam sapientes nunquam inviti, fortes etiam saepe libenter oppetiverunt" Or. 4. in Cat.

prius antequam supplic. ultimum sumeretur.

lex Porcia a P. Porcio Laeca Tr. pl. A. V. 556 lata, quae civem Romanum verberari aut necari vetabat. Meminerunt hujus legis Cic. pro Rab. perd. reo IV. et Liv. X. 9. qui: „Porcia tamen lex, inquit, sola pro tergo civium lata videtur; quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit."

at aliae leges. Miror ad alias omnino leges Caesarem provocasse, cum ipsa Porcii lex *necari* vetaret cives Romanos, Silanus autem supplicium ultimum de civib. Rom. sumendum censuisset.

Sin quia levius etc. i. e. sin propterea, quod levius est verberari quam necari, verberibus in eos animadverti noluisti: quomodo convenit, in re minore etc. hoc est, metu legis civem verberari nolle, si hoc levius quam occidi videtur, eundemque interfici jubere?

At enim. Quasi se ipse corrigens haec dicit: Aber, möchtest du sagen, wer wird etc.

blicae decretum erit? tempus; dies, fortuna, cnjus lubido gentibus moderatur. Illis merito accidit, quidquid evenerit: ceterum vos, Patres conſcripti, quid in alios ſtatuatis, canſiderate. Omnia mala exempla ex bonis orta ſunt: ſed ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit; novum illud [exemplum] ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii, devictis Athenienſibus, triginta viros impo-

tempus, dies, fortuna. Fieri poteſt, inquit, ut, quae nunc probantur, improbentur alio tempore; ut dies h. e. temporis diuturnitas, et fortuitus aliquis caſus anſam praebeat reprehenſionibus. Nam plerique, ut ſupra dixit, poſtrema meminere, et in hominibus impiis, ſceleris obliti, de poena diſſerunt. Multi vero etiam res geſtas fortuito eventu metiuntur.

Omn. mala exempl. etc. „Alio ſenſu Vellej. dicit II, 13. non ibi conſiſtunt exempla, unde coeperunt."

Ceterum nollem hujus ſententiae veritatem defendere, quamvis non auſim negare, e ſiniſtra bonorum exemplorum imitatione *ſaepe* gravia mala traxiſſe originem. Et hanc fuiſſe Noſtri ſententiam, e ſequentibus patet. Sermo eſt de bonis exemplis eorum, qui imperio praediti ſapienter imperant, quos cum imitari nonnunquam ſtudeant inſipientes, falluntur, et perniciem reip. potius quam ſalutem adferunt. Non autem *omnes* mali reges bonorum ſpeciem prae ſe ferre ſtudent.

novum illud ſc. boni principis exemplum.

Athenienſibus. Mihi quidem comma delendum videtur poſt hanc vocem, ad quam pertinet verbum *impoſuere.* Refert hanc reip. Athenienſ. commutationem Iuſtinus Lib. V.

„Cum multi delendum Athenienſium nomen, urbemque incendio conſumendam cenſerent: negarunt ſe Lacedaemonii ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos: pacem polliciti, ſi demiſſa Piraeum verſus muri brachia dejicerent, navesque, quae reliquae forent, traderent; resque publ. ex ſemet ipſis XXX rectores acciperet."

fuere, qui rempublicam eorum tractarent. Hi primo coepere pessumum quemque et omnibus invisum indemnatum necare. ea populus laetari et merito dicere fieri. Post, ubi paullatim licentia crevit, juxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultae laetitiae gravis poenas dedit. Nostra memoria, victor Sulla cum Damasippum et alios hujusmodi, qui malo reipublicae creverant, jugulari jussit, quis non factum ejus laudabat? homines scelestos, factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos ajebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam uti quisque domum, aut villam, postremo aut vas, aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam, uti in proscriptorum numero esset.

ea populus non *eo*, quod est in nonnullis. Dicitur enim: *laetari aliquid* i. e. propter aliquid.

juxta — malos: aeque bonos ac malos sine discrimine.

Damasippum, virum nulla virtute praeditum, nulla laude clarum, qui, in Mariano imperio supra modum ipse saeviens, nobilissimos cives, Sullani nominis defensores, inter victimas, tanquam belluas, crudeliter necari, et Carbonis Arvinae trib. pl. detruncatum corpus patibulo affixum ad ostentationem in opprobrium gestari jussit. cfr. Val. Max. I. IX.

malo — creverant: qui in exitium reip. nimis potentes facti erant.

uti — esset sc. ille. Non satis accurate dictum omisso pronomine.

Ita quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, post paullo ipsi trahebantur: neque prius finis jugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit. Atque ego haec non in M. Tullio, neque his temporibus vereor; Sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manus, falsum aliquid pro vero credi. ubi hoc exemplo, per Senati decretum, Consul gladium eduxerit, quis finem statuet, aut quis moderabitur? Majores nostri, Patres conscripti, neque consilii, neque audaciae umquam eguere: neque superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistra-

trahebantur vel in exilium vel ad supplicium. cfr. Cic. ad Div. VII. 32.

falsum pro vero credi: potest aliquis in suspicionem falsam conjurationis incidere.

ubi hoc exemplo etc. i. e. ita ut nunc. Si falsa suspicione, inquit, commotus, alius quidam Consul Ciceronis exemplum sequetur, quid tum fiet?

Samnitibus, bellicosissima totius Italiae natione, cujus mores feros atque rudes depingit Florus Lib. I. Cap. XVI.

insignia. Duodecim secures cum fascibus, tunicam purpuream sellamque curulem. Nam Tusci, ut refert Dionysius, cum bello novennali a Tarquin. Prisco fracti essent, pacemque impetrassent, hac conditione, ut eum agnoscerent suarum civitatum principem, insignia suorum regum ad eum detulerunt. Ornatum vero triumphalem ac consularem a Tarquiniis Romam fuisse translatum Strabo testatur Lib. V. Quum Tarquinii legem de recipiendis insignibus illis populus jussisset, tum demum corona aurea, sceptro, sellaque eburnea, toga picta purpurea,

tuum ab Tuſcis pleraque ſumſerunt: poſtremo quod ubique apud ſocios, aut hoſtis idoneum videbatur, cum ſummo ſtudio domi exſequebantur: imitari, quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvertebant in civis, de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. Poſtquam respublica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumvenire innocentes, alia hujuscemodi fieri coepere. tum lex Porcia aliaeque paratae, quibus legibus exſilium damnatis permiſſum. Hanc ego cauſſam, Patres conſcripti, quo minus novum conſilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque ſapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur, eos dimitti et augeri exercitum Catilinae? minume; ſed ita cenſeo: publicandas eorum pecunias,

lictoribusque duodecim per omnem deinceps vitam uſus eſt. Expulſis regibus ornamenta iſthaec, excepta corona togaque picta, ad Conſules translata ſunt. cfr. Flor. Lib. I. Cap. V.

verberib. animadv. in civis quia nondum innocentes coeperant circumvenire et falſo accuſare.

Hanc — puto quia nempe etiamnunc factiones in republica valent, adeo ut innocentes ſaepius accuſentur.

Placet igitur etc. h. e. Cenſes igitur, dicitis, eos dimittendos eſſe etc.

ipſos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent: neu quis de is poſtea ad Senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, Senatum exiſtumare, eum contra rempublicam et ſalutem omnium ſacturum.

CAPVT LII.

Poſtquam Caeſar dicendi finem fecit, ceteri

Senatum exiſtimare etc. ſcil. debere cenſeo, eum, qui cum populo de his captivis agere auſus fuerit, contra rempublicam feciſſe. Eſt autem: *exiſtimare, aliquem feciſſe contra rempubl.* nihil aliud, quam inimicum, ſeu parricidam reip. aliquem judicare.

Pertinet huc locus Suetonii in Caeſ. Cap. XIV. ubi: „praetor, inquit, creatus, detecta conjuratione Catilinae, Senatuque univerſo in ſocios facinoris ultimam ſtatuente poenam, ſolus municipatim dividendos cuſtodiendosque, publicatis bonis, cenſuit. Quin et tantum metum injecit aſperiora ſuadentibus, identidem oſtentans, quanta eos in poſterum a plebe Romana maneret invidia, ut Dec. Silanum Coſ. deſign. non piguerit, ſententiam ſuam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire — — obtinuiſſetque adeo, transductis ad ſe jam pluribus, et in his Ciceronis Coſ. fratre, niſi labantem ordinem confirmaſſet M. Catonis oratio."

Plures vero, quam hic a Noſtro nominantur, (Catulum nempe, Servilium, Lucullos, Curionem, Gellium aliosque) ſententiam dixiſſe, docet Cicero in Orat. IV. in Cat. et ad Attic. Lib. XII. 22.

Cap. LII. *ceteri verbo.* Dicentes more ſolemni: *Ita cenſeo*, vel: *adſentio.* — *alius alii* — Silano nempe, aut Neroni, aut Caeſari. — *varie* vel in hanc, vel in illam ſententiam." Tell. — Contulit V. Cl. cum hoc loco Plutarchi et Velleji II, 35. narrationem, atque ex illius teſtimonio adparere refert, plurimos Silano acceſſiſſe, antequam Caeſar ſuam ſententiam dixiſſet, hac vero accepta rurſus inclinaſſe in Caeſaris partes, ipſo Silano retractante cum excuſatione, ſe non de poena capitali, ſed de carcere ſenſiſſe — — — usque dum Cato oratione ſequ.

verbo alius alii varie adſentiebantur: at M. Porcius Cato rogatus ſententiam, hujuscemodi orationem habuit.

Longe mihi alia mens eſt, Patres con-

effecerit, ut omnes in ſuam ſententiam transirent; quae quidem oratio, uti recte obſervavit V. C., omnis ſpirat ingenium moresque Catonis. Confer. quae ſupra ad Caeſaris orationem, Dahlio praeeunte, monuimus.

M. Porcius Cato. Uticenſis poſtea cognominatus, tunc temporis Trib. pl. deſignatus. Ante hanc Catonis orat. verba fecit Cicero, quae leguntur in Orat. IV. in Catilinam.

hujuscemodi orationem, quae non ſingula quidem Catonis verba continet (nam ex Plutarchi atque Velleji narrationibus recte colligit Dahlius, ea, quae ad Caeſarem criminandum laudandumque Ciceronem a Catone dicta ſint, a Noſtro eſſe omiſſa) aptiſſime tamen compoſita ingenium moresque Catonis repraeſentat. Superſunt adhuc fragmenta ejus orationis, quam pro Rhodienſibus habuit Cato; in quibus ſimile dicendi genus conſpicuum eſſe adfirmat interpres modo laudatus. (Vid. A. Gell. N. A. VII. 3.) Ceterum Plutarchus (in Vit. Cat. c. 23.) ταχυγραφιας ope tum primum uſos eſſe oratores narrat, et in ſenatu ſcribas a Cicerone collocatos fuiſſe, qui notis brevioribus Catonis verba calamo excepta ſignificarent. Ita hujus orationis exemplum in publicum prodiiſſe. E quo patet, ipſius Tullii verba, quae ex tempore dixerit, ſimili ratione conſcripta, poſt ab auctore emendata, publici juris facta eſſe. De Catonis oratione Cicero ſcribit (pro Sextio c. 28) Conſule me cum Cato eſſet deſignatus Tribunus pl., obtulit in discrimen vitam ſuam; dixit eam ſententiam, cujus invidiam capitis periculo ſibi praeſtandam videbat; dixit vehementer; egit acriter: ea, quae ſenſit, prae ſe tulit."

Longe — eſt. Longe aliter, inquit, ſentio, aliterque cenſeo faciendum, cum conſidero.

et etc. h. e. *quam cum.*

Longe mihi alia mens eſt. Manutius haec verba comparat illis, quae ſunt in exordio Orat. III. Olynth. apud Demoſth. Οὐχι ταυτα παρισταται μοι γινωσκειν, ὦ ἀνδρες Ἀθηναιοι, ὁταν τε εἰς τα πραγματα ἀποβλεψω, και εἰς τους λογους, οὓς ἀκουω etc. — quorum tanta eſt ſimilitudo, ut hujus orationis auctor ea vel imitatus eſſe, vel potius memoria tenuiſſe videatur.

ſcripti, cum res atque pericula noſtra conſidero, et cum ſententias nonnullorum mecum ipſe reputo. Illi mihi disſeruiſſe videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis ſuis bellum paravere: res autem monet, cavere ab illis, quam, quid in illis ſtatuamus, conſultare. Nam cetera tum perſequare, ubi facta ſunt; hoc, niſi provideris, ne accidat; ubi evenit, fruſtra judicia implores. capta urbe, nihil ſit reliqui victis. Sed, per deos immortalis, vos ego adpello, qui ſemper domos, villas, ſigna, tabulas veſtras pluris, quam rempublicam, feciſtis: ſi iſta, cujuscumque modi ſint, quae amplexamini, retinere, ſi voluptatibus veſtris otium praebere voltis; expergiſcimini aliquando et capeſſite rempublicam. Non agitur de vectigalibus, non de ſociorum in-

Illi, nihil amplius metuendum eſſe autumantes, de poena tantum, qua caſtigentur conjurati, cogitant; mihi vero magis neceſſarium videtur, providere, ne Catilinae ſocii nobis noceant. — Ceterum pronomen *illi* per contemtum dici videtur Tollero.

Cavere ab illis Suppl. *potius.*

Nam cetera — ſunt. Facinoribus commiſſis tempus idoneum eſt, qua poena ſceleſtos adficias, cogitare.

ſigna, tabulas: imagines caelatas tabulasque pictas.

In hac compellatione, qua luxuriantes ignavosque cives ad officium reip. praeſtandum hortatur, ſeverum agnoſcimus Catonem.

agitur de vectigal. etc. *agitur de re* ſive *agitur res*, eſt no-

juriis; libertas et anima nostra in dubio est. Saepenumero, Patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci: saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum; multosque mortalis ea caussa advorsos habeo. qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed, ea tametsi vos parvi pendebatis; tamen respublica firma, opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis, an malis moribus vivamus; neque quantum, aut quam magnificum imperium populi Romani: sed cujus haec cumque mo-

strum: die Sache steht auf dem Spiele, res est in discrimine. Prius etiam est: disceptatur de re. — Sic Cic. in Or. pro leg. Man. „*agitur salus* sociorum — aguntur vectigalia."

in dubio est explicat haec phrasis, cum referenda sit ad *agitur*, antecedentem. Sic Ter. mehercule *in dubio vita est*; et alio loco: tua fama et vita in dubium veniet.

in h. ordine sc. Senatorum, sive in hoc patrum consessu.

qui — fecissem. Cum ipse in me tam severus fuerim judex, ut nullum unquam delictum mihi meisque cupiditatibus ignoscerem. Nam *gratiam delicti facere* est *ignoscere.* Sallustius in Iugurtha: „Ceterum Boccho, quoniam poenitet, delicti gratiam fecit." — Contrarium fere, inquit Tell. de hocce Catonis more, quod Vell. II. 30. observat: familiare hominibus *omnia sibi ignoscere*, nihil aliis remittere.

tolerabat h. e. aut „patiebatur nos negligentes esse" aut, quod rectius mihi videtur, *non sentiebat*, propter opulentiam, negligentiae damnum.

cujus—modi sive parvum sit, sive magnum populi Rom. imperium, quaeritur solum-

di, nostra, an nobiscum una, hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia fortitudo vocatur. eo respublica in extremo sita. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii: ne illis sanguinem nostrum largiantur; et, dum paucis seleratis parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene et composite

modo, nostrumne in posterum sit, an hostium.

nobiscum una h. e. ita ut nos etiam in hostium potestate posthaec simus.

Hic mihi quisquam. Forsan, inquit, objiciet mihi in hac re aliquis (taxare putatur, haec dicens, Tib. Neronem supra nominatum), *negligentiam* nimis durum esse nomen; misericordiam potius et mansuetudinem erga cives a civibus exhibitam esse. — Ceterum usitata est Romanis haec transitionis formula, qua etiam Cic. utitur Philipp. VIII. 4. *Hic* mihi Q. Fusius — — commemorat.

— *nos vera — amisimus.* Contulit cum h. l. alium quend. Thucyd. huic simillimum Cl. T. την ειωθυιαν αξιωσιν των ονοματων αντηλλαξαν; — τολμα μεν γαρ αλογιστος, ανδρια — ενομισθη, — το δε σωφρον, του ανανδρου προσχημα. Thuc. III. 82.

aliena largiri, liberalitas — vocatur. hanc morum perversitatem notavit etiam Cicero in Lib. I. de officiis, ubi: sunt autem, inquit, multi, et quidem cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt ab aliis, quod aliis largiantur: hique arbitrantur, se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacunque ratione.

eo h. e. propterea.

quoniam — habent. Germanice verterem: weil es nun einmal so Mode ist.

in furibus. Ita et hic dandi casus pro Accusat. ponitur, uti supra: quid *in illis* jure fieri posset.

Bene et composite. Ironice invehitur in Caesarem, jam tum sibi perosum, a quo ma-

C. Caesar paullo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit; falsa, credo, existumans, quae de inferis memorantur: diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Itaque censuit PECVNIAS EORVM PVBLICANDAS, IPSOS PER MVNICIPIA IN CVSTODIIS HABENDOS; *videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus conjurationis, aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali aut scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores. Quare vanum equidem hoc consilium, si periculum ex illis metuit. Sin in tanto omnium metu solus non timet; eo magis refert mihi atque vobis timere. Quare cum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae et de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior*

gnum videbat libertati periculum imminere.

diverso itinere h. e. remotos et separatos a bonis.

popularibus h. e. sociis; sicut supra dixit: populares sceleris.

vanum EQVIDEM *consilium*, ut antea: *jam pridem equidem amisimus*, e quo patet, non semper *equidem* dictum esse pro *ego quidem*.

si metuit: aut metuit Caesar, aut non metuit; si timet, vanum est illud consilium (nam et extra urbem sunt scelesti), si non metuit, eo magis mea et Vestrum interest timere.

erit. ſi paullulum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Nolite exiſtumare, majores noſtros armis rempublicam ex parva magnam feciſſe. Si ita res eſſet multo pulcherrumam eam nos haberemus: quippe ſociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum major nobis copia, quam illis. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere; quae nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque delicto, neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egeſtatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, ſequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis praemia ambitio poſſidet. Neque mirum; ubi vos ſeparatim ſibi quisque conſilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae, aut gratiae ſervitis; eo ſit, ut impetus fiat

quae nobis — ſunt die für uns nicht mehr da ſind.

publice egeſtatem. Rapiuntur enim publici aerarii dotes. Germanice redderem: Armuth in der Staatscaſſe und Reichthum in den Häuſern.

omnia virt. praemia magiſtratus honoresque omnes, quos olim ad homines virtute praeditos deferebamus, ab ambitioſis occupantur.

ubi — ſervitis wenn ihr in euren Häuſern den Wollüſten, hier dem Geld-Erwerbe oder der Volksgunſt fröhnet. Iugurtha urbe discedens, dixiſſe fertur: urbem venalem, et mature perituram, ſi emtorem invenerit!

in vacuam rempublicam. Sed ego haec omitto. Conjuravere nobilissumi cives patriam incendere: Gallorum gentem infestissumam nomini Romano ad bellum arcessunt: dux hostium supra caput est: Vos cunctamini etiam nunc, quid intra moenia adprehensis hostibus, faciatis? Misereamini censeo: deliquere homines adolescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis. Ne ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet. Scilicet res aspera est; sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia et mollitia animi, alius alium exspectantes cunctamini, dis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maxumis saepe periculis servavere. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospera omnia cedunt: ubi secordiae

vacuam viris ei consulentibus.

dux h. s. c. est: Catilina vestro capiti imminet.

Misereamini censeo. Iterum invehitur in eos, qui morte non puniendos esse conjuratos censuerant; quos paulo post premit quaestione.

Immo vero maxume. Nolitis simulare. Vos rem tam asperam non timere; magnus profecto vos omnes perculit timor, ignavia autem vestra impedit, quo minus insurgatis contra homines perditos.

Non votis — parantur. O praeclaram viri sapientis sententiam, dignissimam quae omnium memoriae mandetur. — „Ignavis precibus fortuna repugnat.“ Ovid. Met.

te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores; irati infestique sunt. Apud majores nostros T. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit. atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit; Vos de crudelissumis parricidis quid statuatis, cunctamini? Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli si ipse pudicitiae, si famae suae, si dis aut hominibus umquam ullis pepercit: ignoscite Cethegi adolescentiae; nisi iterum patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Coepario loquar? quibus si quidquam umquam pensi fuisset, non ea

Torquatus a torque sic appellatur, quem detractum Gallo, ad Anienem interfecto, collo suo imposuit.

filium suum. T. Manlium.

jussit. Narrant hanc rem Florus Lib. I. Cap. XIV. et Liv, Lib. VIII. Dec. I. Edixerant Coss. ne quis extra ordinem in hostes pugnaret. Forte inter ceteros turmarum praefectos, qui exploratum in omnes partes demissi fuerant, Tit. Manlius, Cos. filius, super castra hostium cum suis turmalibus evasit, ut vix teli jactu a statione maxima abesset. Ibi a gregario quodam Latino (Geminio Metio) ad singulare certamen provocatur — — — oblitus imperii patris et coss. edicti, praeceps ad id certamen agitur, ibique hostem aggressus occidit."

Vos etc. argumentatio a majori ad minus.

Videlicet etc. Haec etiam ironice accipienda sunt. Reliqua, inquit, conjuratorum vita ita bene gesta est, ut mirandum sit, eos huic sceleri se adligare potuisse.

si quidqu. umqu. pensi fuisset. Si ullam unquam rem ac-

consilia de republica habuissent. Postremo, Patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urget: alii intra moenia, in sinu urbis sunt hostes: neque parari, neque consuli quidquam occulte potest. quo magis properandum. Quare ita ego censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, alia foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum, supplicium sumendum.

curatius consideraſſent; nisi semper temere et inconsiderate egissent. — Cap. V. de Catil. dixit: „neque id, quibus modis adsequeretur, *quidquam pensi habebat.*"

si — esset etc. h. e. si ferri posset in tanto vitae omniumque fortunarum periculo peccatum, sive error judicii, facile paterer.

vos ipsa re hoc est: Vestro ipsorum damno corrigi. Sed non est locus peccato, quia undique etc.

intra moenia s. hostes: „in senatu ipso, ipso nostro consessu, ut nunc sequatur: neque parari, neque consuli quidquam occulte potest." Tell.

censeo: Referendum hoc est ad ultima hujus orationis verba. Complectitur enim Cato in uno hoc ambitu orationis causas, quas ob morte puniendos esse conjuratos censeat.

manifestis i. e. manifeste reis.

CAPVT LIII.

[Capitt. 53. 54. Vicit tamen Catonis ſententia, quam graviſſimus ille morum cenſor omni, qua par erat, dignitate ſustinuerat. Cujus eximii viri praeclara oratio, morumque vituperatio quam maxime ſeria, Noſtrum admonet de paucitate hominum virtute nobilium, qui Catoni comparari poſſent. Sic, ab ipſa rerum narrandarum ſerie digrediens, aevi ſui corruptos mores iterum, ſed breviter, opponit priſcorum temporum ſimplicitati. Tum Catonem et Caeſarem, rariſſima illo aevo ingenia, paucis quaſi lineamentis ita deſcribit, ut magnas utriusque virtutes et ſingularem naturam uno velut obtutu cernere queas. Et hic quidem locus praeſtantiſſimis, qui umquam latine ſcripti ſunt, adnumerandus mihi videtur.]

Poſtquam Cato adſedit: Conſulares omnes itemque Senatus magna pars ſententiam ejus laudant, virtutem animi ad coelum ferunt: alii alios increpantes timidos vocant: Cato magnus atque clarus habetur: Senati decretum fit, ſicuti ille cenſuerat. Sed mihi multa legenti, multa au-

Cap. LIII. *Cato magnus atque clarus habetur.* Eſt proprium Salluſtio, quod attentus quisque lector ſaepenumero obſervabit, conſtare ſibi in verborum junctura magis quam ceteri ſcriptores, ut, quae adjectiva ſemel conjunxerit, ea fere ſemper, ubi commode fieri poſſit, conjungat. Sic in Iugurtha Cap. LXXXVIII. dicit de Mario idem fere, quod hic de Catone: Marius *magnus* et clarus antea, major et clarior haberi coepit.

Sed mihi multa legenti etc. Diſſecat hic narrationis filum Salluſtius, et ad rationes, quas ob tantas res cum ſucceſſu gerere potuerint Romani, explorandas ſeſe adcingit, idque eum Catonis, viri praeſtantiſſimi, exemplo monitum feciſſe puto, propterea quod paulo poſt *paucorum civium egregiam virtutem cuncta patraviſſe prae-*

dienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam, saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse: cognoveram, parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus: ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse: facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi multa agitanti

dicat. Verum iniquo loco ea, quae jam sequuntur, posita esse arbitror. Quippe cum Catonis admiratione plenus sit animus lectorum, et quid porro factum sit cognoscere vehementer cupiat, displicet a Catone tantarumque rerum contemplatione ad ipsum scriptorem subito nos retrahi. Mihi quidem, si quis alius, hicce locus vituperandus videtur. Pertinet potius ad Cap. IX. Nam cum Cap. V. *de civitatis moribus, deque institutis majorum, et cur paulatim creverit respublica, initio parva,* dicturum se esse profiteatur, non omittenda erant in illa praefatione singulorum virorum praeclara exempla.

sustinuisset sc. contra ferocem tot bellicosarum gentium impetum.

Germanice ita verterem: ich kam auf den Gedanken, der vorzüglichsten Ursache von der fortdauernden Gröſse des römischen Reichs aufmerksam nachzuforschen.

parva manu — contendisse. Idem fere dixit Cap. VII. in fine, ubi: „memorare possem, inquit, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit.“

ad hoc etc. Haec adjecit, quo facilius intelligerent lectores, cur operae pretium duxerit, caussas magnitudinis imperii Romani quaerere. Mirabar, inquit, populum Romanum, quem facundia Graeci, belli gloria Galli, superasse feruntur, tanta negotia sustinere potuisse.

Ceterum nimis sibi ipse placere videtur Noster in his: *multa legenti, multa agitanti* et similibus.

ante Rom. fuisse. Romanis praestitisse. *Ante* saepius est Nostro i. q. *prae,* ut in Iugurtha Cap. VI. „*ante hos te Iugurtha — providere decet.* Sic

constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse; eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est; rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat; ac, veluti effoeta parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. Sed memoria mea ingenti virtute, divorsi moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar: quos, quoniam res obtulerat, silentio praeterire, non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

Tacitus eodem utitur graecismo Annal. I. de Cn. Lentulo: *Is ante alios* aetate et gloria belli. Et Liv. Lib. XXIX. *Ante omnes barbaros* Numidae effusi in venerem.

constabat durch vieles Nachdenken ward es bei mir feste Ueberzeugung.

magnitudine sustentab. Nam quo major respublica, eo major erat opulentia, quo magis autem opulentia crevit, eo magis aucta est civium luxuria, cui fomitem addebant divitum largitiones.

effoeta parentum. Effoeta est ablativ. casus, isque referendus est ad antecedens *respublica*, mutato casu. Effoetae dicuntur matres, quae pariendo eum in modum debilitatae sunt, ut liberos amplius parere non possint. Iungitur autem hoc verbum saepe cum genitivo, qui rem significet, quam parere nequeant matres. Iam quum civitates quasi matres sint civium, non dubium est, quin *effoeta* ad rempublicam referendum sit. Cum respublica, inquit, matris lassae et defatigatae instar, parentes amplius producere non posset. Verum etiam sic durus est, fateor, Genitivus *parentum*. Cur enim *parentum* potius, quam filiorum (seu civium ipsorum) meminerit auctor, non liquet. Igitur adsentior Dahlio, qui Rivium sequutus *effoeta parente* legen-

CAPVT LIV.

Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere: magnitudo animi par, item gloria; ſed alia alii. Caeſar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vitae Cato. Ille manſuetudine et miſericordia clarus factus: huic

dum eſſe conjicit. — Similes e Plinio locos allegavit Cl. T. qui ep. V. 17. ſeculum ſuum, optat, ne ſit ſterile et effoetum viris egregiis, et VI, 21. neque enim, inquit, quaſi *laſſa et effoeta natura*, ut nihil jam laudabile pariat. In Jugurtha dixit Noſter: loca nuda gignentium.

Cap. LIV. *alia alii* ſcil. gloria erat; h. e. diverſis rebus gloriam ſibi comparaverunt. Obſervanda eſt in hoc loco varietas verborum, quae gloriae notionem continent: *magnus habebatur* — *clarus factus eſt* — *huic dignitatem addiderat* — *gloriam adeptus eſt* — *laudabatur*.

Vera eſſe, quae de Caeſaris eloquentia dicit Noſter, teſtis eſt Suetonius in vita ej. Cap. 55. Eloquentia, inquit, militarique re, aut aequavit praeſtantiſſimorum gloriam aut exceſſit. — — Certe Cicero ad Brutum, oratores enumerans, negat ſe videre, cui Caeſar debeat cedere: atque eum elegantem, ſplendidam quoque ac etiam magnificam, et generoſam quodammodo dicendi rationem tenere. Et ad Corn. Nepotem de eodem ita ſcripſit: „Quid? Oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis verbis aut ornatior aut elegantior?"

integritate vitae Cato. Conſentit in hoc cum Salluſtio Valerius Maxim. L. II. C. X. qui: M. quoque, inquit, Porcium Catonem admiratio fortis et ſincerae vitae adeo admirabilem ſenatui fecit, ut cum, invito C. Caeſare conſule, adverſus publicanos dicendo in curia diem extraheret, et ob id ejus juſſu a lictore in carcerem duceretur, univerſus ſenatus illum ſequi non dubitaret; quae res divini animi perſeverantiam flexit.

miſericordia clarus. Nam Suetonius Cap. 74. ſcribit: „Sed et ulciſcendo natura leniſſimus: piratas, a quibus captus eſt, cum in ditionem redegiſſet, quoniam ſuffixurum ſe cruci ante juraverat, jugulari prius juſſit, deinde ſuffigi."

Plura lenitatis exempla leguntur in loco cit. Miſericor-

ſeveritas dignitatem addiderat. Caeſar dando, ſublevando; Cato nihil largiundo gloriam adeptus. In altero miſeris perfugium; in altero malis pernicies. illius facilitas; hujus conſtantia laudabatur. Poſtremo Caeſar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, ſua neglegere: nihil denegare, quod dono dignum eſſet; ſibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus eni-

diae viri ſatis clarum exemplum hoc eſt, quod *in acie Pharſalica proclamavit, ut civibus parceretur: deinceps nemini non ſuorum, quem vellet, unum partis adverſae ſervare, conceſſit: nec ulli periiſſe, niſi in proelio reperiuntur, exceptis duntaxat Afranio et Fauſto et L. Caeſare juvene; ac ne hos quidem voluntate ipſius interemtos putant.* Suet. Cap. 75.

hujus conſtantia. Non poſſum loco aptiſſimo memorabile hujus conſtantiae, quae jam in puero Catone fuit, exemplum omittere. Nam Val. Maxim. L. III. Cap. I. „Hic, inquit, ſpiritus ne M. quidem Catonis pueritiae defuit. Nam cum in domo M. Druſi avunculi ſui educaretur, et ad eum, Tribunum pleb., Latini de civitate impetranda conveniſſent, a Qu. Poppedio, Latinorum principe, Druſi autem hoſpite, rogatus, ut ſocios apud avunculum adjuvaret: conſtanti vultu non facturum ſe reſpondit. Iterum deinde, ac saepius interpellatus, in propoſito perſtitit. Tunc Poppedius in excelſam aedium partem levatum, abjecturum inde ſe, niſi precibus obtemperaret, minatus eſt: nec hac re ab incepto moveri potuit. Expreſſa eſt itaque illa vox hominum: Gratulemur nobis, Latini, et ſocii! hunc eſſe tam parvum; quo Senatore ne ſperare quidem nobis civitatem licuiſſet.“

in animum induxerat h. e. *ſeſe adſuefeceerat.* Alias *in animum inducere* eſt *ſibi perſuadere,* interdum etiam: *ſtatuere.* Omnes autem tam animi quam corporis habitus (Fertigkeiten) hanc phraſin ſignificare mihi perſuadeo.

ſibi magnum imperium etc. — *exoptabant.* Hujus rei exemplum narrat Suetonius in ej. vita Cap. VII. „Quaeſtori ulterior Hiſpania obvenit; ubi cum mandatu praetoris jure

teſcere poſſet. At Catoni ſtudium modeſtiae, decoris, ſed maxume ſeveritatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioſo; ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat; eſſe, quam videri, bonus malebat; ita quo minus gloriam petebat, eo magis ſequebatur.

dicundo conventus circumiret, Gadesque veniſſet, animadverſa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit, et quaſi pertaeſus ignaviam ſuam, quod nihil dum a ſe memorabile actum eſſet in ea aetate, qua jam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet, miſſionem continuo efflagitavit, ad captandas quam primum majorum rerum occaſiones in urbe."

eſſe quam videri etc. Ita fere de majoribus Romanorum Cap. VIII. dicit: „optimus quisque facere quam dicere malebat."

Sequebatur. Suppl. aut *gloriam*; aut *eum gloria*, quod poſterius magis equidem probo, cum is, qui non petit gloriam, dici vix poſſit *gloriam ſequi.* — „Alii leg. *adſequebatur* anteced. mox *illum*, mox *illam.*" Toll. Rejectis hisce pronominibus magis mihi quidem iſthaec lectio placet. Quamvis enim gloria non quaeſita eleganter dicatur *ultro ſequi* virum, durum tamen eſt, à Catone (tanquam *ſubjecto*) ſtatim ad *gloriam* declinare orationem, niſi forte *ſequebatur* pro adſequebatur poſitum eſſe ſtatuere velis. Quae vocis ſignificatio uſum quidem loquendi prae ſe non fert, apta tamen eſſe videtur. Ad rem enim, quam ſequimur, propius accedimus. Cato igitur, quo minus petiit gloriam, eo propius acceſſit. Huic interpretationi, cum aeque perſpicua ſit, ac illa, quam Cortius et Tellerus ſequuntur, vereor ut omnes adſentiantur. Retineo igitur antiquam illam lectionem: *adſequebatur*, quam bene conciliari poſſe credo cum antecedentibus: *quo minus — petebat*, etſi *Waſſius* non admodum recte refutaverit Ruhnkenium. Scilicet hic negabat, unquam eum dici poſſe rem aliquam adſequi, qui eam non petiiſſet; Waſſius contrarium evincere ſtudebat, provocans ad locum Vellej. II. 127. ubi dicitur; *nihil ſibi vindicantem, eoque adſequentem omnia.* Aliud ſane eſt *nihil petere*, aliud *nihil ſibi vindicare.*

CAPVT LV.

[Praeparatis omnibus, quae ad sumendum de reis supplicium pertinebant, dispositisque praesidiis, Lentulo, item ceteris, in carcere Tulliano, Triumviri capitales gulam laqueo frangunt.]

Postquam, ut dixi, Senatus in Catonis sententiam discessit, Consul optumum factum ratus, noctem, quae instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, Triumviros, quae supplicium postulabat, parare jubet: ipse, dispositis praesidiis, Lentulum in carcerem deducit: idem fit ceteris per Praetores. Est locus in carcere, quod Tullianum adpellatur, ubi paullulum escenderis ad laevam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parie-

Cap. LV. *in — discessit* i. e. adprobavit, ratam haberi voluit. Cum jam obsolevisset mos, antiquissimis temporibus usitatus, in partes (sententiam) paucorum, qui rogati sententiam dixissent, discedendi (pedibus eundi), quo facilius, cui plurimi adsentirentur, viderent, retenta est et in consuetudinem abiit isthaec locutio.

optumum factum. Usitatius est *optimum factu.* Et *factum* certe salvo sensu abesset.

spatio — tempore; interim.

Triumviros, qui et Tresviri et Treviri dicti sunt. Erant autem vel *capitales,* qui carceris custodiam habebant, quosque intelligit Noster; vel *Mensarii,* s. *Monetales,* qui cudendae monetae praeerant, vel *Nocturni,* qui excubias agentes incendia arcebant.

quod Tullianum, pro: qui Tullianum. Ita interdum minus adcurate scribunt optimi auctores. Tullianum adpellabatur propterea, quod a Tullo Hostilio erat exstructum, seu potius amplificatum; nam prima ejus fundamenta jecerat Ancus Marcius.

humi depressus. Quae de-

tes, atque insuper camera, lapideis fornicibus vincta: sed incultu, tenebris, odore foeda atque terribilis ejus facies est. In eum locum postquam demissus Lentulus, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patricius, ex clarissuma gente Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Coepario eodem modo supplicium sumtum.

CAPVT LVI.

[Catilina interim pugnam cum Antonio duce detrectat, sperans meliorem sibi mox pugnandi occasionem datum iri, si Romae omnia prospere cessissent.]

pressa sunt, inferiorem habent iis, quae non deprimebantur, locum. Itaque *humi depressus circiter duodecim pedes* est nostrum: 12 Fuss tief unter der Erde. Observandum est, τὸ *humi* pro *ad humum, in humum* saepius dici. e. g. humi prosternere, projicere.

camera l. f. vincta — ein Gewölbe, das auf steinernen Bogen ruhet (dadurch zusammengehalten, gleichsam gebunden wird.)

incultu; propter defectum eorum omnium, quibus colere solemus nostrorum domiciliorum internas partes.

facies plerumque significat ea, quae sub sensum oculorum cadunt. Itaque non bene cum *odoris foeditate* hic conjungitur.

quibus praeceptum erat. Equidem adsentior iis, qui de lictoribus haec dicta esse putant, non de triumviris. Hos enim lictoribus talia praecepisse existimo. — Strangulari solebant malefici in hocce carceris loco, praecipitari autem ab altera parte, quae *Robur* adpellabatur.

exitium idem olim erat quod *exitus.* Igitur, praesertim cum in antiquis libris omnibus legatur, retinendum est. Sallustius amat vocabula prisca,

Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipſe adduxerat, et Manlius habuerat, duas legiones inſtituit; cohortes, pro numero militum, complet: deinde, ut quisque voluntarius, aut ex ſociis in caſtra venit, aequaliter distribuerat; ac brevi ſpatio legiones numero hominum expleverat; cum initio non amplius duobus millibus habuiſſet. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis inſtructa; ceteri, ut quemque caſus armaverat, ſparos, aut lanceas, alii praeacutas ſudes porta-

Cap. LVI. *copia* ſc. militum: pro: *copiis.*

inſtituit — fecit: errichtete zwei Legionen.

Cohortes non hic ita opponuntur legionibus, ut ſint *auxiliares* copiae. Cohors h. l. ſignificat decimam legionis partem, quae, cum non ſemper idem eſſet militum, qui legionem complerent, numerus, non ſatis definita eſt. Salluſtii tempore CCCCXX militum complectebatur. Hasce cohortes pro numero militum, h. e. quantum licuit per exiguum militum numerum, complevit, ut ſi non juſtum quaeque numerum haberet, cohortes tamen decem in quaque legione inſtituerentur. Non autem diu tam exiguus fuit hic numerus, nam voluntarii et ſocii venerunt eorumque tanta accurrit copia, ut brevi tempore explerentur legiones.

Distribuerat. Minus recte plusquamperfecto hic uti videtur.

ſparos. Sparum et ſparus eſt haſtarum genus (Speer). A reliquis autem haſtis non valde diverſum eſſe ſparum ex eo colligere eſt, quod Cicero *haſta* et *ſpiculum* idem inſtrumentum bellicum vocat, quod ceteri ſparum adpellant.

Sudes, Pfähle. Similis fere fuit exercitus iſte — ruſticorum noſtratium agmini, furcis falcibusque meſſoriis armatorum.

bant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, ad urbem modo, modo in Galliam versus castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare. sperabat prope diem sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cujus initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus conjurationis fretus; simul alienum suis rationibus [existumans,] videri caussam civium cum servis fugitivis communicavisse.

CAPVT LVII.

[Capitt. 57. 58. Sed audito tristi rerum eventu in Galliam cum reliquiis copiarum fugere parat. In quo

adventabat. Usitatius esset: *adventaverat,* antecedente postquam.

in Galliam versus. In posset abesse. Nam redundat.

se habiturum; cave adjicias *magnas copias*, ut quidam legunt. Has enim habiturum se esse, non licuit sperare; sed *occasionem pugnandi*, quam ipse dare noluit.

Servitia: vel *servos* intelligas, vel *servorum auxilia,* sententia eadem est. Non autem bene congruit cum Telleri et aliorum *cujus,* quod sequitur. Quamvis igitur jure vituperentur ab illustr. Tellero qui *rei* addunt, tamen injuria reprehenduntur ab eodem illi, qui *quorum* recipere voluerunt. Mihi quidem magis arridet *servitium* pro *servitia.* Facilis erat haec litterarum transmutatio, praesertim si scriptum erat *servitiū.* Non tamen nego, plura similis negligentiae exempla passim inveniri; v. c. supra Cap. 5: *civitatis — quos*, si modo recte haec invicem ad se referuntur. Vid. Comm. Est autem servitium i. q. servi.

Interea — repudiabat mutato consilio, nam *servitia urbana* eum solicitare voluisse, et emisisse, qui in Apulia servitia concitarent, narratum est.

itinere quum Quintus Metellus Celer, qui in agro Piceno praeſidebat, eum anteveniſſet, nec procul abeſſet Antonius, ancipiti periculo ſe circumventum videt, ac militum animos oratione ad primum ultimumque ſimul certamen fortiter ſubeundum hortatur.

Sed poſtquam in caſtra nuncius pervenit, Romae conjurationem patefactam; de Lentulo, Cethego, ceteris, quos ſupra memoravi, ſupplicium ſumtum: plerique, quos ad bellum ſpes rapinarum, aut novarum rerum ſtudium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montis aſperos magnis itineribus in agrum Piſtorienſem abducit; eo conſilio, uti per tramites occulte perfugerent in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praeſidebat, ex difficultate rerum eadem illa exiſtumans, quae ſupra diximus, Catilinam agitare. Igitur

Cap. LVII. *perfugerent.* Retinendum hoc duco, propter antecedens *per tramites* et ſequens *in Galliam.* Quid autem ſit illud, quod inconcinnum videri poſſit doctiſſ. Tellero in conjunctione verborum: *abducit ut perfugerent,* equidem non video. Mihi quidem multo videretur inconcinnius, ſi legeretur: ut *perfugeret* ſ. profugeret. Cur enim, ut ipſe profugeret, neceſſe fuerit alios abducere, nemo facile perſpiciat.

praeſidebat — praefectus erat agro.

ex difficultate rerum, ex periculo, in quo Catilina verſabatur, cum difficillimum illi eſſet, Romanorum exercitui reſiſtere.

ſupra, modo: nam paulo ante dictum eſt. Suſpicabatur Celer, Catilinam ſuos abducturum eſſe.

ubi iter ejus ex perfugis cognovit, caſtra propere movet ac ſub ipſis radicibus montium conſedit, qua illi deſcenſus erat [in Galliam properanti]. Neque tamen Antonius procul aberat: utpote qui magno exercitu, locis aequioribus expeditus, in fuga ſequeretur. Sed Catilina poſtquam videt montibus atque copiis hoſtium ſeſe clauſum, in urbe res adverſas, neque fugae, neque praeſidii ullam ſpem; optumum factum ratus, in tali re fortunam belli tentare, ſtatuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque, concione advocata, hujuscemodi orationem habuit.

perfugis. Nonnulli enim militum, quod rei difficultatem propius cernerent et cum Catilina profugere nollent, transierunt ad Metelli partes.

Neque tamen etc. Haec ita cohaerent cum antecedentibus: Quamvis in radicibus montium collocatus Metelli exercitus deſcendenti Catilinae agmini obſtabat, tamen, ne, ſi hunc perrupiſſet, tuto evadere poſſet hoſtis, Antonius cum magno exercitu aderat, eo conſilio ut fugientem hoſtem ſequeretur. Sed recte obſervat Tellerus: *in fuga ſequi* pro *fugientes* non bene ſubſtitui. Dahlius veterem defendit lectionem: *expeditos in fugam.*

l. aequioribus ſc. quam ii, quos occupaverat Metellus in aſperis montium radicibus. Et propterea quod in planitie expeditior eſt via, in voce *expeditus* non opus eſt ut reſpiciatur ad impedimenta (Bagage), quibus Antonius vacaverit.

in tali re in einer ſolchen (ſo gefährlichen) Lage.

fortunam belli tentare ſein Heil in einer Schlacht zu verſuchen.

CAPVT LVIII.

Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia natura, aut moribus inest, tanta in bello patere solet. quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere; timor animi auribus obsicit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi; simul uti caussam consilii aperirem. Scitis

Cap. LVIII. *Verba virtutem non addere.* Recte Cortius, codicum auctoritate nixus, *viris* post *verba* ejecit. Sin autem ferri nequire istam vocem sibi persuadet C. Tellerus, propterea quod *viris* jam insit *virtus*, non habet me consentientem. Hanc enim ipsam ob caussam, quod viri esse debent *virtute* seu virili animo praediti, negare posset Sallustius viris addi virtutem. Rectius vocem *viris* propter sequentia ejiciciendam esse vidit Dahlius.

moribus i. e. educatione, consuetudine, qualis e. g. erat Lacedaemoniorum, qui „verberibus ad aram sic accipiebantur, ut multus e visceribus sanguis exiret."

auribus officit; impedit, quo minus vel audiantur vel vim persuadendi habeant hortamina.

Sed ego etc. Cur igitur ipse advocaverit militum concionem, his verbis exponere incipit.

pauca. „non longa oratione, inquit, animum vestrum excitare studebo (hunc enim per se satis fortem esse, nec verbis fortiorem reddi posse, existimo), sed quid faciendum sit vobis, et cur ego nunc confligere cupiam cum Antonio, paucis exponam." Ad captandam militum benevolentiam aptissima sunt haec verba:

equidem, milites, secordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc quo in loco res nostrae sint, juxta mecum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant: diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis; et, cum praelium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta, commeatus abunde, coloniae atque municipia patebunt, sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fiunt: neque

quo in loco — i. e. quo in statu: quae sit rerum nostrarum conditio.

juxta mecum — aeque ac ego. Interdum adjicitur particula *aeque*, e. g. „juxta tecum aeque scio." Plaut.

si maxime a f. etiamsi vehementer cupiamus.

parato entschlossen, rüstig — parato vel ad vincendum, vel ad moriendum.

in dextris portare. Similis est apud Curtium locus (Lib. IV), ubi Darius Persarum exercitum his verbis ad virtutem hortatur: *In dextris vestris* jam libertatem, spem futuri temporis *geritis.*

Commeatus abunde — alimenta, cibaria, nobis abunde advehentur.

ead. illa advorsa f. horum omnium contraria fient.

locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet. nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum est pugnare pro potentia paucorum. Quo audacius adgredimini, memores pristinae virtutis. Licuit nobis cum summa turpitudine in exsilio aetatem agere: potuistis nonnulli Romae, amissis bonis, alienas opes exspectare. Quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. Si relinquere voltis, audacia opus est. nemo, nisi victor, pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem spe-

illis, hostibus.

supervacaneum opponitur necessitudini, et significat id, quod pro lubitu, nulla necessitate urgente, facimus. Interdum etiam supervacanea vocantur, quae animi exhilarandi gratia fiunt.

Licuit nobis etc. In his et sequentibus observent juvenes orationis brevitatem et masculam gravitatem. Si consuetis particulis uti voluisset Sallustius, hunc fere in modum scripsisset: Quamvis licuit vobis — — — aetatem agere, et nonnullis Vestrum — — exspectare; tamen, quia illa — — videbantur — haec sequi decrevistis. Sed omissis conjunctionibus gravior est, et ad movendos audientium animos aptior oratio.

Potuistis nonnulli. Nonnulli Vestrum potuere.

haec sequi etc. hoc bellicum vivendi genus eligere. Nostrum: diese Parthei ergreifen.

si (haec) relinquere, si hac molestia liberari vultis.

Nemo nisi v. p. b. m. In victoris solius potestate est bellum finire. Simillimus est infra in Iug. locus: „Omne bellum sumi facile, ceterum aegerrime desinere: non in

rare, cum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est. Semper in praelio maxumum est periculum, qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Cum vos considero, milites, et cum facta vestra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vestra hortantur; praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae. Quod si virtuti vestrae fortuna inviderit,

ejusdem potestate initium ejus, et finem esse; incipere etiam ignavo licere, deponi cum victores velint."

Ea vero dementia est. Attendant linguae lat. studiosi primum ad vocem *ea*, quae posita esse videtur pro: *id*, usitato scriptorum more (e. g. idem velle, atque idem nolle — *ea* demum — est amicitia), deinde ad eximiam vim particulae *vero*, quae idem, quod *profecto* significat, ut loci sententia haec fere sit: Est profecto dementia, armis ab hoste aversis in fuga salutem sperare. Sed quanto aptius composita sunt verba auctoris, qui, praemissa dementer factorum expositione, quasi consentiente lectore, addit: ea vero dementia est.

a. pro muro habetur. Saepissime firma cujuscunque generis praesidia muris comparantur. Sic Justin. XIV. 3. „*murus* urbi, inquit, civium virtus." Et Cic. „lex murus tranquillitatis." Idemque: Consulatus mei memoria dum erit Vestris mentibus infixa, firmissimo me muro septum esse arbitrabor." Et Horatius: hic murus aheneus esto etc. Epist. I. 1. 60. — Mira est hujus orationis brevitas. Vehemens oratoris adfectus non permittit, ut seriem verborum artificiose connectat. Singula tantum veluti fragmenta orationis raptim eloquitur, quibus tamen comprehendit omnia, quae ad excitandum commovendumque animum aptissima erant.

cavete, inulti animam amittatis; neu capti potius, ſicuti pecora, trucidemini, quam virorum more pugnantes, cruentam atque luctuoſam victoriam hoſtibus relinquatis.

CAPVT LIX.

[Signa canere jubet, proelium ipſe pedes, remotis equis, inſtruit, C. Manlium dextrae, Faeſulanum ſiniſtrae copiarum parti praeficit. Ex altera parte M. Petrejus pro Antonio, qui pedibus aeger erat, exercitum curat.]

Haec ubi dixit, paullulum commoratus, ſigna canere jubet, atque inſtructos ordines in locum aequum deducit: Dein, remotis omnium equis,

Cap. LIX. *paullulum commoratus* — ne militum animus ad pugnam incitatus iterum labefactaretur, ſed creſceret potius tubarum, cornuum, buccinarum concentu.

Ordines. Quatuor fuere apud Romanos militum ordines: *haſtati*, *principes* et *triarii*, quibus additi ſunt *velites*, milites levis armaturae, huc illuc volantes. Illi autem ordines in ſuas quisque partes diſtributi pugnabant. *Haſtati* a *pilis*, quae in hoſtes jaciebant, *pilani* etiam vocabantur; ſed eodem nomine adpellabatur pars quaedam Triariorum, quam *pilum* vocabant; ut *Antepilani* eſſent, qui ante pilanos pugnabant h. e. *Haſtati* aeque ac *Principes*.

Notandi ſunt praeter hos a) *Ferentarii*, quorum infra mentionem fecit — pedites armis gravibus non impediti, enſe tantum et telis inſtructi, dicti forſan a *ferendo*, vel quod adferrent, quae ſuggerenda eſſent pugnantibus, vel ab auxilio ferendo; b) *Adſcriptitii*, vel *adſcriptivi* (Rekruten), quod ſupplendis legionibus adſcriberentur; c) *Accenſi* — tironum genus ab *accenſendo* dicti, qui ſequebantur triarios, et *rorarii* etiam vocati (cfr. Liv. VIII. 8. 9.); d) denique *funditores*.

quo militibus, exaequato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum, pro loco atque copiis, instruit. Nam, uti planities erat inter sinistros montis, et ab dextra rupe aspera, octo cohortis in fronte constituit: reliqua signa in subsidio artius collocat. Ab his centuriones omnis lectos, et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextera, Faesulanum quemdam in sinistra parte curare jubet: ipse cum libertis et colonis propter Aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C. An-

ipse sc. Catilina.

pro loco a. copiis prout vel loci natura, vel militum numerus postulabat.

uti, quia, quum. Nam respondet Gallicae voci: *comme*.

signa h. e. vexilla. Hoc loco autem signa pro cohortibus posita sunt, quia suum cuique cohorti vexillum erat.

Centuriones. Centuriae triplex est significatio. Primum enim universe *numerum centenarium*, deinde *manipuli dimidium*, sive sexaginta militum numerum; denique partem civium Romanorum in comitiis (nimirum centuriatis) significat.

evocatos. Alias *evocati* milites dicuntur, qui, quamvis emeriti sint, denuo tamen, imminente periculo, ad certamen evocantur. Hic autem: *illos centuriones omnis* lectos, i. e. e medio copiarum agmine provocatos, simulque cum gregariis militibus in primam aciem subductos esse intelligas.

curare. Observes rariorem hanc locutionem: *curare* in sinistra parte, pro: militum curam gerere, prospicere, imperare militibus in sinistra parte collocatis.

colonis „militum servis, castra sequentibus, qui clavas ligneas et fustes gerebant, vel qui militibus ligna subministrabant.

tonius, pedibus aeger, quod praelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortis veteranas, quas tumulti caussa conscripserat, in fronte; post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens, unumquemque nominans adpellat, hortatur, rogat, uti meminerint, se contra latrones inermos, pro patria, pro liberis; pro aris atque focis suis cernere. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

Ille cohortes etc. Discrepant interpretes in exponendis vocibus *ille* et *ipse*. Nonnulli enim per *ipse* Antonium, per *ille* Petrejum intelligi credunt, quod cum loquendi usu maxime conspirat. Ab his dissentit Minellius, qui, Ciceronis auctoritate adductus, per *ipse* intelligit Petrejum; idque propterea verisimilius est, quod ea, quae Cicero de Petreji virtute commemorat, congruunt cum adjectis Sallustii verbis: „Homo militaris" etc. E quo patet, hanc virtutis laudem eidem Petrejo tributam esse. Et quamvis supra memoratur, Antonium pedibus aegrum proelio adesse non potuisse, tamen locare potuit cohortes.

aut praefectus, aut legatus. Rectissime ad significandos varios honorum gradus, quos Petrejus obtinuerat, particula disjunctiva utitur auctor. Non enim praefectus simul et legatus fuerat, sed *modo* hunc, *modo* illum tenuerat honoris gradum.

plerosque ipsos est Nostrum: die Meisten von Person (nach Namen, Abkunft etc.)

CAPVT LX.

[In proelio Catilina, fortiſſime dimicans, confoditur.]

Sed ubi, rebus omnibus exploratis, Petrejus tuba ſignum dat; cohortis paullatim incedere jubet. idem facit hoſtium exercitus. Poſtquam eo ventum, unde a ferentariis praelium committi poſſet, maxumo clamore, cum infeſtis ſignis concurrunt; pila omittunt; gladiis res geritur. Veterani, priſtinae virtutis memores, comminus acriter inſtare; illi haud timidi reſiſtunt. maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie verſari, laborantibus ſuccurrere, integros pro ſauciis arceſſere: omnia providere: multum ipſe pugnare, ſaepe hoſtem ferire. ſtrenui militis, et boni imperatoris officia ſimul exſequebatur. Petrejus, ubi videt Catilinam contra, ac ratus erat, magna vi tendere; cohortem

Cap. LX. *a ferentariis* „h. e. a militibus levi armatura ad bellum inſtructis, ut fundis, et lapidibus, enſe, telis, et his armis, quae *feruntur*, non tenentur."

pila — tela oblonga, Romanis uſitata.

Interea Catil. etc. Attendant lectores ad rapidum orationis flumen, quo Catilinam promtiſſime agentem velut corripi videmus. Plures infinitivi eleganter excipiuntur verbo finito: *exſequebatur*, in quo legentis animus adquieſcit.

contra ac ratus erat. Contra hic non eſt idem, quod *ex adverſo*, ut Minellius autumavit, ſed conjungendum eſt cum ſequentibus, ut ſignificet: *praeter opinionem*.

praetoriam in medios hoſtis inducit, eos perturbatos atque alios alibi reſiſtentes interficit: deinde utrimque ex lateribus adgreditur. Manlius et Faeſulanus in primis pugnantes cadunt. Poſtquam fuſas copias, ſeque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque priſtinae dignitatis, in confertiſſumos hoſtes incurrit ibique pugnans confoditur.

CAPVT LXI.

[Ex ipſis vulneribus, quae Catilinarii milites in adverſo corpore acceperant, et cruenta civium victoria, recte colligitur, quam feroces audacesque illi fuerint.]

Sed confecto praelio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque animi vis fuiſſet in exercitu Catilinae. Nam fere, quem quisque pugnando locum ceperat, eum, amiſſa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos cohors praetoria disiecerat, paullo diverſius, ſed omnes tamen adverſis volneribus conciderant. Catilina vero longe a ſuis, inter hoſtium cadavera repertus eſt, paullulum etiam ſpirans ferociamque ani-

CAP. LXI. *tum vero cerneres*: da konnte man erſt ſehen. Confr. Flor. IV. 1.

paullo diverſius ſc. a loco, in quo collocati fuerant: in einiger Entfernung von ihrem Stand-Orte.

o. adverſis volneribus. Nemo in tergo, omnes in anteriore (hoſtibus adverſa) corporis parte vulnerati erant.

mi, quam habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in praelio, neque in fuga quisquam civis ingenuus captus. Ita cuncti suae hostiumque vitae juxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus. nam strenuissimus quisque aut occiderat in praelio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui de castris visundi, aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem, aut cognatum reperiebant. fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, moeror, luctus atque gaudia agitabantur.

suae hostiumque vitae juxta i. e. nec suae nec hostium vitae: *so* wenig ihr eigenes Leben, als das der Feinde.

laetitia m. l. a. gaudia. Alterum ab altero distinguit Tullius. *Gaudio,* dicit, placide et constanter, laetitia vehementius animum moveri — ausgelassene Freude — ruhiger Frohsinn. Sic et *moeror* atque *luctus* sibi invicem opponuntur.

